# DE LATINITATE
# L. ANNAEI SENECAE PHILOSOPHI.



## DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

IN

ACADEMIA IENENSI ORDINI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

PROPOSUIT AUCTOR

**OTTO RAUSCHNING,**
TAUKITTENSIS.

**REGIMONTI PRUSSORUM.**
EX OFFICINA HARTUNGIANA.
MDCCCLXXVI.

De auctoris indole atque elocutione judicium justum ferri non potest, nisi ad statum et condicionem aetatis, quae eum tulit, respicitur. Quodsi Gellius dicit (XII, 2. 1,) „de Annaeo Seneca partim existimant, ut de scriptore minime utili, cujus libros attingere nullum pretium operae sit, quod oratio ejus vulgaris videatur et protrita, res atque sententiae aut inepto inanique impetu sint aut levi et quasi dicaci argutia," Fronto p. 155 ejus eloquentiam confusam appellat, quae radicitus subvertenda sit — non ita mirum est, cum ea ipsa vitia, quae antiquarii illi eorumque asseclae vel maxime reprehendunt et insectantur, Senecae proprietatem gravissimam efficiant. Ejusmodi judicia, ex hujus generis dicendi taedio orta, injusta esse, nemo est, qui neget. Ab altera vero parte cavendum est, ne, prae sententiis praeclaris ac dictionis splendore corusco vitiis non animadversis, nimii in laudando simus. Quam in perversitatem inciderunt, qui nostra aetate de hac re disputatiunculas conscripserunt, Boehmer „De L. Annaei Senecae latinitatae. Oels 1856" et Opitz „De L. Annaei Senecae genere dicendi Naumburg a. S. 1871" qui quidem futilibus ornamentis ac rhetoricae disciplinae artificiis, quibus sententiae quasi involutae sunt, parum offenduntur, ita ut Senecae libros non jam in discipulorum manibus esse, doleant. Ipse quidem arbitror, vitia dictionis propria aetatis condicionibus, qua, omnibus literarum disciplinis rhetorica velut infucatis, potissimum ars animos capiendi aciemque oculorum praestringendi valebat, declarari et excusationem habere, neque vero esse, negari posse. — Seneca, qua erat suae aetatis notitia, haud ignorabat, non fuisse

futurum, ut legeretur et apud eos, quibus scribebat, aliquid valeret, si rhetorico ornamento ex dictione remoto, simplicitate modesta et jejuna scripsisset. Quamquam enim dicit Ep. IX, 4. 1, ‚quis accurate loquitur, nisi qui vult putide loqui; qualis sermo meus esset, si una sederemus, inlaboratus et facilis, tales esse epistolas meas volo, quae nihil habeant accersitum,' quaevis et in epistolis et in ceteris libris sententia ostendit, eum minus, quid dicat quam quomodo curare ac non tam rem ipsam, de qua disputat, quam legentem intueri. Quam ad nimiam placendi cupidinem omnes, quae in eo cernuntur stili proprietates rectique usus discrepantiae referendae sunt. Recte igitur Fridericus Haase in praefatione eum in philosophando declamatorem appellat, cum sophistarum more dicendo delectationem quaerat nec quo doceat sed quo splendeat et capiat, disputet. Quod quum sine dubio tam perfecte et penitus sciverit, quam nemo nec ante eum nec post eum, evenit, ut suae quidem aetatis auribus acceptissimus fuerit, nobis vero, quippe qui dictionem splendidam non raro rei jejunae velamentum esse sentiamus, illicia rhetorica, quae cumulata orationem onerant, molesta sint.

Si de latinitate Senecae disserere instituimus, non eo nos contineri satis est, ut quaecunque ad grammaticae artis regulas spectant, naviter ac studiose tractemus; sed ante de universa ejus indole ac narrandi describendique ratione primitias quasdam dare necesse est.

Vitiorum nullum genus in Senecae dictione aeque conspicuum esse constat, quam quod pertinet ad orationis membra inter se conectenda. Oratio rotunda verborum constructione atque sententiis leniter fluentibus non modo non est ornata, sed potius in minutissimas particulas dissoluta, tamquam infracta et confragosa videtur. Complicitis contortisque continuationibus repudiatis, sententiae de industria non sunt conexae sed, nec conjunctionibus nec pronomine relativo inter se cohaerentes, altera alteri assertae sunt. Quo quidem fit, ut alias — cum ad quamque sententiam legendam novus quasi impetus capiendus sit,

oratione simpliciore vel sterili et jejuna fatigemur, alias offendamur, cum crebris acutisque sententiis, dedita opera cumulatis, rhetoricam intellegamus gravitatem peti intellegamus. Quamobrem multa inveniri, quae, acute faceteque dicta, ingenii videantur acerrimi concedendum, totum dicendi genus elegans venustumque esse, negandum est.

Senecam sententiarum parataxin anteponere hypotaxi, quae vocatur, conspicuum faciunt sententiae conditionales, in principalium formam redactae. Ea licentia, qua, quod percipi vult dictum conditionaliter, quo acrius garviusque dicat, factum legentium oculis proponit, nescio an sermoni potissimum cotidiano et ad ejus instar composito, quippe qui minus elegantiam quam perspicuitatem et pondus aucupetur, proprium sit. Unum liceat afferre exemplum Plautinum: Most. 859.

Nam ut servi volunt esse erum, ita solet is esse.
Boni sunt, bonust; improbi sunt, malus fit.

Cf. Ep. IV, 3. 5, ‚fortuna eos evertit . . . fugiunt.' Ep. XIV, 3. 15, ‚placet: pare. non placet: quacunque vis, exi.' Ep. XV, 3. 50, ‚Vis deos propitiare? bonus esto.' Ep. XIX, 1. 14, ‚vis . . contemnere? exitum specta.' De brev. vit. VII, 4. XI. 1, N. q. II, 45. 2.

Jnde oritur ille imperativi usus, quo non quod faciendum est, sed condicio, sub qua fit, exprimitur.

N. q. I, 6. 4, ‚oppone, inquam, soli alteram nubem; hujus varietas interibit'. N. q. III, 10. 4, ‚detrahe illi colorem: rigescit.' Ep. II, 5. 10, ‚seculum muta: nimis habes . . .' Ep. II, 1. 4, ‚Catoni gladium . . . extorque, magnam partem gloriae detraxeris'. Ep. XV, 2. 23, ‚sana avaritiam et nihil habebis.' Ep. V, 4. 8, ‚effice, ut . . . intellegam, perdidi usum.' De ben. II, 29. 5, ‚tolle radicem, nemora non surgent.' Cf. Ep. XVIII, 6. 6, N. q. I, 3. 6, I, 6. 4, II, 38. 1, II, 59. 3, III, 10. 4, De. tr. an. 7. 2. Ad Helv. de cons. 6. 3, 14. 3.

Raro eadem ratione conjunctivum usurpatum inveni. N. q. II, 59. 6, ‚cogitemus nos . . . perditos esse: et sumus.'

Disputationes excultas, Seneca dicit, plus quidem habere

strepitus, quam sermonem, neque vero multum proficere, quum desit familiaritas. Quod quum ita sit, se non orationem elegantem, sed dictionem summissam, consuetudinem imitantem facilemque praeferre affirmat. Inde, Senecam, qui alio loco ‚sermonem inlaboratum, talem qualis esset, si una cum Lucilio sederet aut ambularet', se appetere dicat, multa et verba et locutiones, sermonis cotidiani ac vulgaris propria de industria cogitateque in usum suum recepisse, colligimus. — Circumscripti verborum ambitus saepe sententiis, orationi mediae interpositis, impediuntur. Parentheses, sive sententiae sunt fusius productae sive singulis verbis continentur, ab recto usu non quidem omnino abhorrent, sed frequentatae orationi speciem addunt infractam, ab orationis elegantia venusta, quae cernitur continuationibus apte compositis, alienam.

Ep. XV, 3. 42, ‚Mullum ingentis formae - quare autem non pondus adjicio et aliquorum gulam irrito? — Tiberius . . .' Ep. VIII, 2. 3, ‚Odium aut ex offensa — hoc vitabis neminem lacessendo -- aut gratuitum . . .' Ep. XVII, 2. 1, ‚quomodo . . excitat — aufert enim . . — sic . .' Cf. Ep. XIII, 1. 1, XIII, 1. 4, XIII, 1. 9, XV, 3. 65, XIII, 3. 5, XVIII, 3. 1, XVIII, 3. 5, XX, 2. 7.

Sententiolae ut „puto“, „scio“, „fateor“, „concedo“, „obsecro“ aliaque ejusmodi verba, orationi inserta, quamvis parvae minutaeque, ad auctoris naturam intellegendam non levis momenti sunt, quum id, quod est rhetoris, Senecam, ut sua persona, quasi primo loco posita, cernatur, studere ostendant. Hoc quidem, quod ad sentiendi et declarandi verba spectat, parataxis genus, familiarissimum est comicorum usui. Cf. Plaut. Merc. 207, ‚credo, non credet.‘ Most. 1067, ‚scio, jocaris,‘ Most. 92, ‚scio . . . dicetis.‘ Trin. 115, ‚credo, haud crederet.‘ Ter. Ad 55. ‚Leno sum, fateor.‘ Plaut. Most. 1069, ‚eho an negabit sibi argentum, obsecro?‘ Most. 457, ‚circumspicedum, numquis est.‘ — Quibus cumulatis orationis color redditur vividus et incitatus.

„— **Puto.**“ Ad Helv. de cons. 4. 1, ‚vincam autem,

puto, primum . . .' Ad Marc. de cons. 12. 4, ,ne deos quidem fabulae immunes reliquerunt, puto, ut . . .' N. q. II, 57. 2, ,non miraris, puto, si . . .' Ep. VII, 4. 1, ,non, puto, expectas . . .'

Plerumque verbum sententae antepositum est. Ep. XIV, 4. 3, ,puto inter me teque convenit.' Ep. IX, 5. 11, ,puto probabitur . . ." De otio 8. 4, „puto, hic me vetat navem solvere." Dial. II, 17. 4, „puto, non intellexit."

C. F. W. Müllerus „Zu beiden Seneca und anderen lat. Prosaikern" (Neue Jahrb. für Phil. und Päd. Bd. 93.) scribi vult Lud. de m. Cl. 2. 2: „puto intellegis;" primum quia totius satirae dicendi genus solutius sit, quam ut defendi possit dura, ut censet, lectio „puto intellegi", deinde quod Seneca, ubi alterum alloquatur, hujus verbi parataxin adhibeat. Concedo, mihi ex dictionis colore „puto intellegis" haud displicere. Neque tamen emendationem istam comprobo, quod ex codicibus lectio exhibetur „puto intellegi" omnibusque, qui huc referendi sunt, locis collectis, apparet, praevalere quidem parataxin — Ep. III, 1. 7, ,puto . . . quaeris.' Ep. XIX, 8. 12, ,puto concedes.' De tr. an. 1. 5, ,puto . . . intellegis.' De ben. IV, 16. 2, ,puto . . . existimas.' Ad Marc. de cons. 18. 8, ,puto, ad id non accedes' — neque vero hypotaxin omnino deesse. Cf. Ep. VI, 6. 2, ,hoc Vergilio licet credas: . . . . puto intellegi, istud verbum interiisse.' — Hujus verbi is usus, quo ironiae inservit, apud Senecam non invenitur.

„— **Scio.**" Ep. VII, 4. 50, ,eadem ratione fit, scio, ut . . .' Ep. VIII, 1. 3, ,scio, gaudebis.' Ep. XIV, 3. 12, ,scio, omnia mortalium opera mortatitate damnata sunt.'

Aliis in verborum modis temporibusque sententiarum parataxin non animadvertimus. Ad rhetoricam nostri auctoris indolem revocandum est, quod saepe sententiae, quo acrius dicantur, imperativis „scito" et „puta" subjunguntur.

Ep. II, 4. 9, ,si . . . restat, scito, id naturale non esse.' Ep. VI, 4. 14, ,tunc ergo te, scito, esse compositum.' Ep. VI, 7. 14, ,scito, tibi deesse.' N. q. V, 1. 1, ,scito, illud non stare.' Ep. I, 6. 7, ,scito hunc amicum omnibus esse.'

Ep. I, 8. 5, ‚scitote . . . tegi.' Dial I, 2. 4, „scias . . . esse faciendum." Ep. VI, 4. 11, ‚perniciosissima scias esse.'

Et imperativo „scito", orationi interposito et allitteratione gravitas elaborata videtur: De ir. I, 20. 4, ‚Oderint dum metuant. Sullano scias seculo scriptum.' — Cf. De clem. I, 24. 1. De ben. II, 2. 1, VI, 34. 4, IV, 5. 1, „idem inter amicos fieri puta" [= idem . . . fit]. Ep. VII, 2. 8, ‚puta relicta nobis medicamenta esse.'

Eandem proprie rhetoricam vim habet „**mihi crede**", quod quidem, quo vehementius asseveret, modo primo loco ponit modo medium orationis continuationi interponit.

Ep. I, 8. 6, ‚mihi crede: qui nihil agere videntur, majora agunt.' Ep. II, 6. 1, ‚mihi crede: exsultabis, dipondio satur.' N. q. praef. 3, ‚mihi crede: capieris, si . . .' Ad Polyb. de cons. 9. 5, ‚mihi crede: is beatior est, cui . . .' Cf. Ep. II, 5. 2, III, 2. 4, III, 3. 11, XIV, 2. 9, XVI, 4. 4, De ben. III, 23. 4, De ir. III, 34. 1.

Ep. XVII, 1. 5, ‚omnia, mihi crede, etiam . . .' Ep. XVIII, 1. 19, ‚nullum est, mihi crede, iter'. De brev. vit. 7. 5, ‚magni, mihi crede, et supra . . .' Cf. De brev. vit. 18. 3, Ad Helv. de cons. 8, 1, Ad Marc. de cons. 16. 1, De clem. I, 23. 3.

„— **Fateor.**" Ad Helv. de cons. 3. 1, ‚gravissimum est ex omnibus recens volnus, fateor'. Ep. IX, 3. 31, ‚non et color ejus mutabitur . . Fateor. Sed . .' Ep. XVI, 5. 11, ‚non erunt sine dubio, fateor.' Cf. De tr. an. 1. 5, N. q. II, 13. 3, Ep. XIX, 6. 17.

„— **Concedo.**" Ep. XV, 3. 40, ‚faciet, quod oportet, concedo.' N. q. I, 5. 4, ‚specula sunt, concedo.'

„— **Inquam.**" N. q. I, 6. 4, ‚oppone inquam . . .' Ep. XIV, 2. 30, ‚non abduxit inquam'. Dial. I, 2. 9, ‚non video, inquam . . .' Cf. N. q. IV, 13. 8, Ep. III, 5. 5, XIV, 2. 27, XIV, 4. 31, XV, 2. 54, XVI, 2. 8, XVI, 4. 21, XVI, 4. 30, XVIII, 1. 25, XIII, 2. 25, XIII, 3. 6, XII, 3. 15, XIX, 1. 9, XIX, 1. 4, Dial. I, 4. 5, De ir. I, 14. 3, Ad Polyb. de cons. 6. 5.

„— **Dico.**“ Ep. XIV, 4. 7, ‚et hunc tu non dico inter viros numeras sed inter homines.' Ep. IX, 5. 35, ‚dicit: sciebam.' De ben. V, 19. 4, ‚dicis: filium mihi donavisti.' Ep. IX, 5. 9, ‚non dico: in his omnibus perfertis.' Ep. IX, 5. 29, ‚dic, factum tuum oblivio sequetur.' De ben. IV, 17. 1, ‚ad hoc, dic mihi, quae causa nos perducit?'

[„**Dico**“ = „intellegi volo“.] De tr. an. 1. 3, ‚non ignoro etiam quae in speciem laborant, dignitatem dico.' Dial. I, 1. 2, ‚incerta, pluvias dico nubesque.' Ep. XII, 1. 12, ‚de illa C. Caesaris caede, illius dico.'

Multo saepius aliquid parenthesi „**id est**“, sententiae intermissa, declaratur.

Ep. XI, 3. 10, ‚indifferentia, id est nec bona nec mala.' Cf. Ep. XI, 3. 14, XIV, 1. 17, XV, 3. 6, XV, 2. 4, XVII, 2. 9, XVIII, 1. 25, XVIII, 4. 2, N. q. I, 1. 2, I, 3. 13, I, 4. 1, I, 5. 1, I, 6. 6, IV, 1. 21, IV, 39. 4, De tr. an. 12. 1, Ad Polyb. de cons. 5. 2, De br. vit. 9. 4, De ben. IV, 39. 4, IV, 36. 3, Dial. I, 4. 5.

„**Hoc est.**“ Ep. XIX, 1. 1, ‚mentem bonam, hoc est propitios deos.' Cf. Ep. XIII, 3. 3.

„— **Obsecro.**“ De ben. III, 38. 3, ‚certate, obsecro vos, et . . restituite.' Ep. XV, 1. 2, ‚utrum, obsecro te, aequum judicas?' Ep. XVIII, 1. 25, ‚Quis est, obsecro te, Lucili?' Ep. XV, 1. 2, ‚utrum, obsecro te, aequius judicas?' Dial. I, 4. 6, ‚nolite, obsecro vos, expavescere illa.' Ad Marc. de cons. 5. 5, ‚ne, obsecro te, concupieris.' Dial. II, 9. 4, ‚faveamus, obsecro vos, huic.' Ep. XV, 1. 4, ‚obsecro te, Lucili, hoc agamus.'

„— **Oro.**“ De ben. I, 2. 2, ‚vide, oro te, ne . . .' Ep. XIX, 1. 18, ‚faciamus, oro te . . .' Ep. XIII, 3. 19, ‚Quid enim, oro te, liberale habent?' Ep. XIV, 2. 14, ‚quomodo, oro te, conveniet'? De vit. beat. 7. 1, ‚quid est, oro vos, cur . . .?' De clem. I, 25. 1, ‚quid enim interest, oro te . . .?' Cf. De ben. V, 19. 4.

Hujus licentiae, qua „oro“ ut „obsecro“ sententiis interrogativis immittitur, Seneca unus testis videtur.

Sententias, verbis, quae sive declarandi sive sentiendi

notionem habent, adjunctas non subjunctas in omnibus Senecae libris inveniri, exposuimus. Corrigendum vero indicativum existimamus, quamvis codicum consensu traditum, his locis:

N. q. II, 53. 3, ‚libebit ostendere, quam omnia ista a philosophia . . . defluxerunt' et:

N. q. VII, 23. 1, ‚an cometae fecerunt, nescio.'

Conjunctivus locorum necessitate praeferendus videtur. Nam qui in ejusmodi interrogationibus indicativus modus ponitur, non ex verbi praecedentis potestate pendet sed sui quasi juris est, id quod nisi ubi oratoria quaedam vis quaeritur, esse non potest.

— **„Ita est"** et **„ita dico"** formulae sunt rhetoricae, quibus, quod antea expositum est, confirmatur, sed ea ratione, „ut summa comprehensa, novus quasi impetus capiatur ad idem denuo aliis verbis explicandum" (cf. Haase praef. p.V).Quod inTursellino p.493 commemoratum est, in locutione „ita est" particulae vim demonstrativam tantum auctam esse, ut sententiae affirmationem afferat — aeque ac particula „ita" per se posita, — non rectum est, propterea quod haec verba non ad sententiam, quae antecedit, sed ad eam, quae subsequitur, referenda sunt.

Ep. XV, 2. 70, ‚ita est: irritamentum est omnium.' Ep. XVI, 2. 13, ‚ita est: tanta scelera esse possunt.' Ep. XIX, 1. 20, ‚ita est: nihil desideres oportet.' Cf. Ad Polyb. de cons. 7. 1, De ben. II, 29. 6, Ad Marc. de cons 23. 5, Ep. XV, 2. 70, XVI, 2, 30, XVII, 6. 22.

Uno loco: **„sic est"**, invenitur: Ep. I, 10. 1, ‚sic est, non muto sententiam: fuge multitudinem.'

Saepe apponitur vocativo: Ep. VII, 5. 1, ‚ita est, mi Lucili, jam . . .' Cf. Ep. VII, 4. 31, I, 5. 7, II, 1. 8, II, 6. 15, III, 1. 11, N. q. II. 59. 6, N. q. IV. praef. 9.

— **„Ita dico."** Ep. VI, 9. 4, ‚ita dico: qui . . . excipit . . . effugit.' Ep. VII, 4. 29, ‚ita dico: in aequo est moderate gaudere et moderate dolere.' Ep. XIX, 4. 6, ‚ita dico: paria sunt.' N. q. II, 34. 4, ‚ita dico: non re-

fert.' Cf. De vit. beat. 7. 2, 23. 2, Ep. I, 4. 8, I, 4. 9, XIV, 3. 9, XIX, 4. 4.

— „**Ita fac**", quae formula Senecae dictioni propria videtur, sententiae, quo imperativi pondere intento acrius praecipiatur, anteponitur. Epistolarum initium hoc est: ‚ita fac, mi Lucili, vindica te tibi . . .' Ep. XIII, 7. 1, ‚ita fac: puta . . .'

Cum imperativo „ita fac" tum verbis „oro et obsecro" imperativi praecipiendi vis augetur: Ep. II, 7. 1, ‚ita fac, oro et obsecro te, si potes, subduc . . ."

— „**I nunc**", quae verba sunt adhortantis cum ironia atque irridentis, Seneca anteponere amat imperativo ‚puta': Ad Helv. de cons. 10. 10, ‚i nunc et puta pecuniae modum ad rem pertinere non animi.' Ad Helv. de cons. 6. 8, ‚i nunc et humanum animum ex isdem, quibus divina constant, seminibus compositum . . . puta.' De ben. VI, 35. 5, ‚i nunc et hoc grati esse puta.' N. q. I, 16. 3, ‚i nunc et dic speculum munditiarum causa rejectum.' Cujus significationis praeter quosdam apud Livium locos apud poetas solos exempla exstant. Idem significatur conjunctivo: Ad Polyb. de cons. 1. 2, ‚eat nunc aliquis et singulas comploret animas.' et paullo infra: ‚eat aliquis et fata . . . conqueratur.' Quod pertinet ad imperativum, per negationem positum, notandum est, raro inveniri infinitivum imperativo „noli" subjunctum, longe frequentissimam esse locutionem „non est quod", paucis locis conjunctivum adhiberi ita, ut pendeat ex particula „ne", deesse formulam „cave ne".

Ep. X, 1. 6, ‚noli torqueri.' Ep. III, 6. 8, ‚noli dicere.' Ep. I, 4. 7, ‚noli confidere.' Cf. Ep. X, 2, 13, XIX, 3. 3, XIX, 7. 1. De ben. III, 30. 4, V, 23. 1, Ad Polyb. de cons. 18, 4, Ludd. m. cl. 9. 6, De ir. II, 30. 2, Dial. I, 4. 6.

Forsitan aliquot loci me fugerint. Hoc certe non est dubium, quin pauci sint prae eorum multitudine, quibus invenitur „non est quod". Ex immensa exemplorum multitudine haec proferre satis sit:

Ep. I, 7. 9, ‚non est quod timeas.' Ep. VII, 6. 9, ‚ve-

lis.' Ep. IV, 2. 5, ,eligas.' Cf. Ep. I, 9. 22, II, 4. 2, II, 4. 7, II, 6. 8, II, 9. 9, III, 1. 4, III, 6. 6, III, 2. 11, V, 6. 16, VI, 1. 7, VII, 4. 45, VII, 6. 3, VII, 6. 9, VII, 6. 14, VIII, 1. 19, VIII, 2, 17, XIV, 3. 16, XVI, 5. 20, XV, 2. 60, XV, 2. 67, XVI, 2. 9, XVIII, 1. 29, XIX, 1. 2, XIX, 1. 12. De vit. beat. 24. 4. De br. vit. 7. 6, 8. 10, De Tr. an. 1. 3, 1. 16, De ben. IV, 28. 6, VI, 27. 7, VII, 26. 2, VI, 31. 10. — Conjunctivus: De vit. beat. 20. 1, ,ne erres itaque.' Ep. I, 6. 20, ,ne existimes.' — Ad Marc. de cons. 5. 5, ,ne, obsecro te concupieris.' Ad Marc. de cons. 5. 6, ,ne submiseris.' Ad Polyb. de cons. 9. 7, ,ne itaque invideris.'

Per parataxin, cujus simile exemplum ex aliis scriptoribus equidem proferre non possum, ponitur verbum „adjicio“.

De. ben. III, 8. 2, ,etiamnunc adice: hic pecuniam pro accepto dependit.' De. ben. V, 17. 3, ,adice: et ambitiosi sumus et impii.'

Verbum adiciendi ab Seneca mirifice tritum est. Formula „accedit quod“, quae est usitata ad novi aliquid addendum, prorsus repudiata, alacrius, — cum non modo rem propositam sed etiam legentem intueatur, — quam elegantius idem significat imperativis „adice“ et „adde“. Qui quantopere in consuetudinem ei abierint, haec specimina, plurimis ex exemplis desumpta, conspicuum faciant:

N. q. II, 28. 2, ,adice nunc, quod mons non findet nubem.' N. q. III, 7. 3, ,adice, quod inveniunt.' N. q. III, 30. 3, ,adice quod immanes sunt.' De. ben. III, 7. 4, ,adice nunc, quod . . . sufficiunt.' Cf. De. br. vit. 3. 2, De ot. 7. 4, N. q. V, 3. 2, De ben. VI, 17. 2, VI, 23. 1, VI, 23. 4, Dial. II, 8. 1, Ep. IV, 2. 8, IX, 3. 18, XV, 2. 16, XV, 2. 26, XVIII, 6. 10, XIX, 5. 1.

— **„Adde.“** N. q. IV, 2. 24, ,adde quod testamentum... coarguitur.' Ep. XV, 2. 28, ,adde quod concupiscit.'

Particula „non“ saepe in comicorum dialogis, raro apud ceteros auctores ita usurpatur, ut, cum verbum ex ante dictis intellegatur, ad notionem nostae particulae „nein“

descendat. Cujus ellipsis, orationis flumen impedientis, apud Senecam quoque specimina inveniuntur:

Ep. XII, 3. 26, ‚Quid ergo? inquit, mortem, vincula alia tela fortunae non timebit? Non. scit enim ..' N. q. III, 4. 22, ‚quid ergo? humor roscidus est? Non, ut existimo.' De ben. V, 19. 2, ‚quid ergo? ... accepit beneficium? Non, inquit.' De. ir. I, 16. 1, ‚quid ergo? non irascar venefico? Non.' De. ben. I, 20. 4, ‚Oderint. quid? dum pareant? Non. dum probent? Non. quid ergo? dum timeant.'

Neque vero „non" lectionem genuinam esse censeo hoc loco:

De. ben. VII, 19. 4, ‚Tale inquit illi beneficium quale accepisti non potes reddere; accepisti enim a sapiente, stulto reddis, Non. reddo illi, quale nunc potest accipere.' — Hunc locum ad colloquii instar conformatum esse videmus. Omnibus autem, quos et apud Senecam et in Tursellino collectos inveni, hujus modi locis inspectis particula „ non", hunc in modum per se sola posita, sententiae, quae antecedit, contradicitur. Hoc loco id quod modo dictum est, non refutatur, sed conceditur. Accedit, quod sententia longiore, qua id quod occurritur, confirmatur, interposita (accepisti enim ...) quod ad verbum negandum particula referenda sit, parum in aprico est. Haase (index lect. Vrat. 1853 p. VI) exposuit, errore usitato scribi „nunc" pro „non" et rursus „non", ubi „nunc" scribendum esset. Quamobrem conjicimus „nunc reddo illi, quale nunc potest accipere." [„Nunc" ut saepe apud alios auctores et apud Senecam = „sub ea condicione." cf. Ep. XVII, 1. 14, N. q. I, 5. 10, N. q. II, 55. 3.] Quae emendatio probabilior videtur antithesi, quod ornamentum rhetoricum quantopere Seneca amaverit, infra demonstrabimus.

Seneca verborum flumen saepius impeditum reddidit sententiis orationi insertis, quibus, quo acrius legentium animos intendat atque graviter aliquid enuntiandum pronuntiet, quod dicturus est, aut ipse quaerit aut alterum quaerentem inducit. Quo artificio rhetorico ornamentum haud omittendum continetur.

Ep. III, 26. 6, ‚quorsus haec retuli? ut appareret.'

Ep. VII, 2. 6, ,quomodo ista inter se paria esse possunt, cum. . . ?' Ep. III, 7. 2, ,quaeris, quare te fuga ista non adjuvet? Tecum fugis.' Ep. VII, 4. 28, ,quare non est ullum bonum altero majus? quia . . .'

N. q. II, 1. 4, ,quare, inquis . . . ? quia . . .' N. q. II, 1. 3, quomodo inquis . . . ? quia . . .' Ep. IV, 8. 3, ,quomodo ergo, inquis, expediam? effugere non potes.'

Ep. III, 2. 1, ,Hujus fundamentum quod sit, quaeris? ne gaudeas vanis.' Ep. I, 6. 10, ,lex autem . . . quaeris, quos nobis terminos statuat? non esurire, non sitire . . .' Ep. IV, 2. 7, ,quis . . . inquis supervacuus est? quem . . .' N. q. III, 22. 1, ,quae sit haec, quaeris? Oceanus . . .' Ep. IV, 12. 9, ,quid . . . exigat? Rem facillimam, secundum naturam vivere.' Ep. XII, 1. 8, ,quid ergo est nunc, cui animum adjecerim? dicam.' Cf. Ep. I, 2. 6, III, 2. 7, IV, 12. 8, V, 12. 7, VI, 1. 11, VI, 6. 21, VII, 3. 10, VII, 1. 2, VII, 4. 39, VIII, 2. 37, XIV, 4. 3, XV, 1. 8, IX, 5. 4, XV, 3. 66, XVII, 2. 6, XVII, 1. 1, XVII, 2. 7, XVIII, 3. 3, N. q. III, 28. 7, II, 57. 2.

Ep. XIV, 2. 26, ,Vis scire, quid . . . effecerit? non dedecoros . . .' Ep. XV, 1. 4, ,vis scire, quid . . . intersit? alter . . . alter . . .' Ep. XV, 2. 58, ,vis scire, quam . . . deceperit? nihil est . . .' Cf. Ep. XV, 3. 8, N. q. I, 3. 4.

Per ellipsin interrogatur ita, ut, quid cogitatione supplendum sit, appareat:

— **„Quare?“** N. q. II, 34. 2, ,in quo mihi falli . . . videntur. quare? quia . . .' N. q. II, 34. 3, ,falsum est. quare? quia . . .' De ir. III, 12. 7, ,nihil tibi licet. quare? quia . . .' Ad Marc. de cons. 7. 4, ,ignis . . . uret. quare? quia. . .' Cf. Ep. VI, 2. 14, VI, 1. 8, VII, 5. 5, XV, 2. 11, XV, 6. 8, N. q. I, 3. 6, I, 3. 7, I, 2. 7, I, 5. 11.

— **„Quomodo“?** Ep. XIV, 3. 18, ,reddet faciliora. Quomodo? aequanimitate.' Ep. XVIII, 6. 5, bonus bono proderit. Quomodo inquis? gaudium illi afferet.' N. q. II, 1. 3, ,quomodo, inquis . . . ? quia . . .'

— **„Quando?“** Ep. VI, 2. 4, ,diu expertus sum. Quando?

antequam nascerer.' Ep. IV, 10. 3, ,prosequi licuit. Quando? cum . . .'

Quaestionis gravitas augetur enunciatione „**Quid ergo**"? sententiae anteposita, qua interrogatione, ex antecedentibus instituta, oratores legentis animum attendunt ad id, quod ex aliqua re colligi poterit.

N. q. VI, 12. 3, ,quid ergo? . . . hanc . . . existimo? beneficium . . .' N. q. V, 5. 1, ,quid ergo? hanc . . existimo? ex his . . .' N. q. V, 2. 1, ,quid ergo? beneficium accipit? immo homo ab homine.' De ben. VI, 18. 2, ,quid ergo? nihil tibi debetur? tamquam ab uno nihil.' Ad Polyb. de cons. 5. 2, ,quid ergo? . . . tu credis? non est hoc verisimile.' Cf. Ep. I, 5. 6, I, 6. 11, I, 9. 22, II, 2. 11, II, 2. 15, Dial. I, 3. 6, I, 6. 3, II, 14. 2, II, 3. 3, De clem. I, 9. 4, Ep. IV, 7. 4, V, 2. I, V, 6. 15, V, 11. 2, VII, 1. 3, VII, 4. 52, VIII, 2. 20, XII, 2. 8, XVIII, 3. 34.

„Quid ergo?" Seneca amat anteponere sententiae, quae incipitur interrogationis particula „non". Ep. IV, 1. 15, ,quid ergo? non . . . spectavit?' Ep. XV, 3. 16, quid ergo? non . . . evaserunt?' Cf. Ep. XVI, 3. 16, ,non . . . exibit?' N. q. II, 13. 3, ,non . . . exibit?' N. q. II, 13. 3, ,nôn . . . solent?' N. q. II, 55. 3, ,non . . . potest?' De vit. beat. 25. 7, ,non aeque manifestum est?' De ben. V, 25, 1, ,non . . . repeteret?' De ben. I, 15. 6, ,non erat?' De ben. VII, 23. 3, ,non ostendam?' De ben. V, 19. 4, ,non dicis?' Ep. II, 7. 12, ,non . . . parant?' De. ir. I, 8. 7, ,non abstinent?' Ep. XIV, 4. 11, ,non . . . petes?' Ep. IV, 11. 3, ,non . . . insurget?' Ep. XVIII, 5. 5, ,non . . . novimus?' De. ir. I, 8. 7, ,non . . abstinent?' De. ir. I, 16. 7, ,non . . . habebit?'

Ceterae voces interrogativae, et particulae et pronomina hanc formulam non subsequuntur, exceptis duobus locis, quibus solis putare non licet, quaestionem, quae verbis „quid ergo?" continetur, non coire ,adverbii natura induta, cum reliqua interrogatione, sed enunciationem esse, per se positam.

De ben. VI, 16. 1, ,quid ergo? quare . . . defungor? quia . . .' Ep. XIII, 2. 16, ,quid ergo? utrum illum pecunia purum effecit an ipse pecuniam inspurcavit?'

Antecedente plena sententia „quid ergo est?", oratio pergitur declaratione recta.

De ben. I, 15. 3, ‚quid ergo est? cum sit . . . veto.' De ben. V, 16. 5, ‚quid ergo est? ceteri exercuerunt.' Cf. De clem. II, 2. 2, De vit. beat. 13. 1, De vit. beat. 25. 1.

Rhetores Romani eleganti dicendi generi convenire existimant, interim, aliqua disputationis parte absoluta, ad audientis animum exsuscitandum, antequam aliquid dicant, se dicturos esse, pronuntiare. Senecam rhetorem esse, qui rectum modum non servet, ut ubivis, in hoc quoque sententiarum genere cernitur. Permultis locis eo, aliquid gravioris momenti responsum iri, promittitur, ut interrogationem sequatur verbum „dicam". Qua cum abundantia verbi comparari potest linguae Germanicae usus, quo in colloquio gravitas quaedam ac perspicuitas quaeritur sententiola „ich will Dir sagen". Ut hoc loquendi genus ab sermonis elegantia politiore abhorret, ille quoque usus ad linguam forensem adspirare videtur.

Ep. XII, 1. 8, ‚quid ergo est nunc, cui animum adjecerim? dicam.' Ep. XIV, 5. 15, ‚quid . . . intellegitur? dicam.' N. q. 2. 16, ‚quid ergo est inter fulgurationem et fulmen? dicam.' N. q. I, 5. 11, ‚non consentio . . . quare? dicam.' Ep. VII, 4. 16, ‚si hoc concesseris, omne honestum periit. Quare? dicam.' N. q. V, 6. 8, ‚quaeris, quid intersit? dicam.' N. q. II, 57. 2, ‚quid ipse existimem, quaeris? dicam.'

Responsionem ipsam ita instituere amat, ut vel uno verbo vel acuta et brevissima complectatur sententia.

Ep. XI, 2. 28, ‚quaeris, quid sit, quod . . . faciat? cupiditas accipiendorum.' N. q. VI, 6. 2, ‚quod, inquis, erit pretium operae? nosse naturam.' Ep. III, 2. 7, ‚quaeris, quare adjuvet? tecum fugis.' De ben. 6. 33, ‚quaeris, quomodo illa tua facias? dona dando.' De vit. beat. 7. 1, ‚interrogas, quid petam ex virtute? ipsam.' De vit. beat. 26. 1, ‚quid . . . interest? plurimum.' Ep. XV, 2. 15, ‚quid prodest . . .? plurimum.' Ep. I, 5. 6, ‚nihil . . . intererit? plurimum.' De ben. V, 11. 1, ‚qui . . . refert, cui . . pro-

dest? sibi.' Ep. IV, 2. 11, ,quid hoc est? animus.' Ep. XIV, 3. 21, ,quis sit quaeris? animus.' Ep. II, 1. 11, ,quid facies lucri? tempus.' Ep. XV, 3. 48, ,quae causa est dis benefaciendi? natura.' Ep. I, 7. 1, ,quid tibi vitandum praecipue existimem, quaeris? turbam.' Ep. IV, 5. 11, ,quid in hoc est mali quaeris? infinitum.' Ep. IX, 5. 10, ,quid . . . proprium sit? ratio.' Ep. V, 2. 4, ,quid ergo est bonum? scientia.' Ep. V, 8. 6, ,quid . . . promittat? consilium.'

Usus, quo interrogationem, cui verba „quid ergo?“ praeludunt, vel affirmativam vel negativam, excipit responsio verbis „minime“ aut „immo vero“, nimis tritus est, quam ut Senecae, quippe qui scribendo splendere velit, conveniat. Ei usitatum est concedere et contradicere aut verbo, ex antecedente sententia repetito aut verbo „fateor“ aut particulis „non“ et „quidni“.

De ben I, 15. 6, ,quid ergo? non erat accipiendum a Claudio, quod dabatur? erat, sed . . .' Ep. II, 7. 12, ,quid ergo? beneficia non parant amicitias? Parant, si . . .' Dial. II, 4. 1, ,quid ergo? non . . . temptet? temptabit, sed . . . N. q. III, 2. 6, ,quid ergo? . . . non efficiat? efficiet . . .' De ben. VI, 42. 2, ,quid ergo? . . . semper debebo? debebis, sed palam debebis.'

— „**Fateor.**“ Ep. XV, 3. 36, ,quid ergo? non quidam . . . evaserunt? fateor: sed . . .' N. q. II, 13. 3, ,quid ergo? non . . . solent? fateor: non sunt tamen . . .' De ir. I, 16. 7, ,quid ergo? non . . . tangetur? fateor.'

Uno loco interrogatio excipitur responsione „**verum est**“. N. q. I, 5. 6, quid ergo? non . . . solet? verum est, sed . . .'

Tota latinitate non occurrere opinor verbum „facio“ hoc modo usurpatum: De ir. I, 8. 7, ,quid ergo? non aliquando in ira quoque et demittunt incolumes intactosque quos oderunt? faciunt.'

— „**Quidni.**“ De ben. VII, 3. 1, ,quid ergo? virtus ad beate vivendum sufficit, quidni sufficiat?' De ben. VI, 19. 12, ,quid ergo? inquit . . . si dederit, nihil debebunt? quidni debeant?' Ep. XIV, 4. 1, ,quid ergo? non

petes illas? quidni petam?' Cf. Ep. XV, 3. 16, XVIII, 5. 5, VIII, 2. 8, IX, 3. 26.

Saepe particula elliptice ita posita est, ut, quo verbo omisso enunciatio compleatur, ex antecedentibus appareat.

De ir. I, 6. 1, ‚quid ergo? non . . . necessaria est? quidni?' De ir. I, 5. 4, ‚quid ergo? non . . . est? quidni?' Dial. I, 6. 2, ‚quid ergo? miraris, si . . . quidni? cum . . .' Ep. VII, 4. 52, ‚optabis? quidni? hoc enim . . .' Ad Marc. de cons. 18. 8, ‚respondebis, velle te vivere? quidni?' Ep. IV, 11. 3, ‚non insurget? quidni? sed . . .'

„Quidni" non quidem ab iis qui electius scripserunt, plane repudiatur, sed maxime sermoni vulgari ad vehementius aliquid asseverandum usitatum est. Usus igitur Senecae familiarissimus ipse quoque ex sermonis, qui ea particula abundat, imitatione manavisse videtur.

De ben. V, 6. 1, ‚victus est, quidni victus sit?' De ben. VII, 24. 1, ‚ambitus fuit, quidni esset?' De ben. V, 5. 3, ‚non est tamen turpe . . . . quidni non sit turpe?' Cf. De brev. vit. 2. 7, Ep. XIII, 1. 3, XIV, 2. 28, XVII, 15. 6, De ben. VII, 25. 2, V, 25. 2, Ep. XIV, 4. 23, XVII, 2. 30, V, 12. 10. — N. q. II, 26. 4, ‚exigua enim non resistet. Quidni?' De ben. III, 6. 1, ‚invisum vitium an impunitum esse debeat, quaeritur, quidni? cum . . .' De ben. V, 10. 2, ‚multum interest . . . quidni? cum . . .' De ben. V, 10. 3, ‚licet prosequi . . . quidni? cum . . .' Ep. XIV, 2. 13, ‚sapiens facilis victu fuit, quidni? cum . . .' Cf. Ep. VII, 4. 53, XV, 2. 6, XIV, 2. 13, N. q. I, 4. 8. —

C. F. W. Muellerus. „Zu beiden Seneca und anderen lat. Prosaikern" Senecam De. ben. VI, 7. 2, scripsisse conjicit, ‚nam si quis coactus aliquid boni facit „quidni" nos non obliget? manifestius est, quam ut ulla verba impendenda sint.' Lectio omnium codicum fide et editorum consensione comprobata haec est: „quin nos non obliget, manifestius est." Muellerus hunc locum parum diligenter explicavit. Et primum quidem excusandum esse arbitratur „quidni — non." Conjunctionem inquit „quidni — non", in qua „non"

superfluum sit, Senecae propriam his exemplis comprobari: De ben. V, 5. 3, ‚non est tamen turpe vinci beneficiis a parente. Quidni non sit turpe, quum a nullo sit?' De ben. V, 25. 2, ‚non memini inquit, quid fuerim. Ab hoc quidni beneficium non esset repetendum?' Constat quidem, florentis linguae scriptores simplici voce ad aliquid affirmandum seu asseverandum contentos fuisse, posteriores vero, pristina simplicitate amissa, ad strenuam acremque contentionem efficiendam, alacritatem quandam affectasse seu eadem voce iterata seu duabus similibus geminatis. Senecam ad hoc quoque ornamentum rhetoricum concurrisse, ubi accuratius de particulis agendum erit, exponam. Huc referendum esset, si „quidni non" ad notionem simplicis particulae „quidni" decederet. Ab grammaticis, hoc ita esse, affirmatur. Cunctis vero locis collectis, mihi quidem „non" videtur non esse additamentum rhetoricum, quo vis, quae particulae „quidni" inest, augetur sed verbo appositum. De brev. vit. 7. 7, ‚vivere mihi non licet; quidni non liceat? omnes illi, qui te tibi advocant, tibi abducunt.' (= „certe non licet, quum omnes . . . abducant.") De ben. V, 5. 3, ‚non est tamen turpe vinci beneficiis a parente. Quidni non sit turpe cum a nullo sit' (= „non est turpe"). Ep. I, 6. 3, ‚multos tibi dabo, qui non amico sed amicitia caruerunt; hoc non potest accidere, cum animos . . . par voluntas trahit. quidni non possit? sciunt enim ipsos omnia habere communia (= „non potest"). Ep. XIV, 4. 23, ‚quidni non possit beata vita rescindi? ne remitti quidem potest' (= „non potest . . . rescindi"). Ep. IX, 3. 25, ‚non facit . . . sapientiorem . . . ergo nec beatiorem . . . quid ergo? non est beatior amicorum et liberorum turba subcinctus. quidni non sit? summum enim bonum nec infringitur . . .' (= „non est"). Ep. XVII, 2. 30, ‚quidni non timeat, qui mori speret?' (= „non timet"). Ep. V, 12. 10, ‚ut quidem judicetis et feratis de meliore suffragium, quidni non permittam? apud Pythagoraeos discipulis quinque annis tacendum erat.' (= „non permitto").

Qua ratione perductus nescio an locus unus, quo

„quidni non“ idem significat ac „quidni“ egeat emendatione: De ben. V, 25. 1, ‚repetam itaque quia ... Tiberius Caesar inter initia dicenti cuidam „meministi“, antequam plures notas familiaritatis proferret, non „memini“ inquit, quid fuerim. Ab hoc quidni non esset beneficium repetendum?‘ Forsitan Seneca scripserit „nunc“ (= „si res ita se habet“).

Loco illo (De ben. VI, 7. 2,) Seneca intellegi vult, eum qui coactus beneficium conferat, nos non obligare. Neque igitur excusatione ista opus erat. Tamen emendationem non probamus, quia lectionem, ex codicibus exhibitam mutari non opus est. Adde quod „quidni“ quamvis multis locis inveniatur, uno loco enunciationem incipit, quae pendet ex sententia conditionali: Ep. XVII, 19. 7, ‚quorum si naturam habet intra se malus, quidni ego isti beneficium suum reddam?‘

Recte quidem Muellerus et Opitzius contendunt, licentiam esse inauditam, conjungendi adjectivum „manifestus“ cum particula „quin“. Vel nullo modo admitti potest. Cum enim in hypothesi desit negatio, atque duplici particula negativa tollatur negatio, exhibemus sensum contrarium: „si quis coactus aliquid boni facit, nos obligat.“ — Difficultatem opinor removeri, cum „quin“ non particulam esse relativam sed interrogativam (= „quî ne“) credimus et interpungimus, ut Muellerus proposuit: „si quis coactus aliquid boni facit, quin nos non obliget? manifestius est ...“

Senecae oratio non fluit sed tamquam excidit — primum quod sententiarum parataxis adhibita est, ubi hypotaxin desideramus, deinde quod sententiae non sunt vinculis coagmentatae. Creberrimum igitur — id quod rhetoris potissimum est — **asyndeton et anaphora.** Hoc loquendi genus nec ab Cicerone nec ab ceteris, quorum culta est oratio, abhorret. Seneca in hoc quoque ornamento rhetorico ad taedium usque luxuriatur.

Ep. XVI, 1. 1, ‚Male valeo. pars fati est. familia decubuit, fenus offendit, domus crepuit, damna, volnera labores, metus incucurrerunt. solet fieri. hoc parum est. debuit fieri. decernuntur ista, non accidunt.‘

Ep. V, 4. 7, ,Venit ad me pro amico blandus inimicus. Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt; temeritas sub titulo fortitudinis latet. Moderatio vocatur ignavia. Pro cauto timidus accipietur. In his magno periculo erramus; his certas notas imprime!' Ep. XV, 3. 43, ,Amicus aliquis aeger assidet. Probamus; at hoc hereditatis causa facit. Vultur est, cadaver exspectat. Eadem turpia sunt . . .' Ep. XVIII, 4. 8, ,Nubilo serena succedunt. Turbantur maria, flant invicem venti; noctem dies sequitur. pars coeli consurgit.' — Cf. Ep. XIV, 4. 30, XV, 1. 8, XVI, 1. 9, V, 8. 7.

Jam exemplorum, quae ubivis effusa in immensum augeri possunt, modus sit. — Quod animadvertitur in sententiis plenis, idem cernitur in singulis enunciationum membris. De clem. I, 13. 4, ,is, qui . . . tuetur . . . nutrit, inclinatus . . . ostendens . . . in cujus animo nihil efferum, nihil hostile est, qui . . . exercet . . . cupiens . . . visus . . . affabilis accessuque facilis, . . . amabilis . . . propenens . . . acerbus, a tota civitate amatur, defenditur, colitur.' Ep. V, 5. 1, ,sol me invitabat, fames admonebat, nubes minabantur.' Asyndeton novem ex membris compositum: De tr. an. 9. 2, ,discamus . .. augere . . . coercere . . . temperare . . . lenire . . . adspicere . . . colere . . . adhibere . . . habere . . . agere.' Ep. XVI, 4. 15, ,emam, aedificabo, credam, exigam, geram.' — Ep. XVII, 2. 27, ,scindetur, obruetur, abolebitur.' Cf. Ep. XV, 2. 5, XVIII, 1. 8, XVII, 3. 5, De ir. I, 12. 5. —

De ir. I, 18. 1, ,voltus illam securior, vox clarior, sermo liberior, cultus delicatior, ambitiosior advocatio, favor popularis exasperant.' De clem. I, 1. 19, ,justitia, pax, pudicitia, securitas, dignitas florent.' De ir. I, 12. 5, ,pro parentibus, liberis, amicis, civibus prodire.' Lud. de m. Cl. 11. 5, ,occidit socerum suum, Appium Silanum . . . generos duos . . . socerum filiae suae Crassum Frugi,*)

---

* Scripsi „Crassum Frugi" auctore Schenklio. (Beiträge zur Kritik des L. Ann. Sen. — Sitzungsber. d. Wien. Akad. Bd. 44.)

hominem . . .' Ep. XV, 2. 8, ,divitias, honores, bonam valetudinem, vires, imperia.' De ir. III, 43. 5, ,detrimenta, injurias, convicia, vellicationes contemnamus.' Ep. XVI, 1. 1, ,damna, volnera, labores, metus.' Cf. Ep. XVI, 18. 1, XVIII, 4. 2, De ir. I. 3, 4. Ad Marc. de cons 1. 4.

De ir. I, 3. 2, ,nec minus stomachosum, rabiosum, clamosum, difficilem, asperum.' De ben. IV, 11. 1, ,virum integrum, simplicem, memorem, gratum, alieni abstinentem, sui non avare tenacem, breviloquum.' cf. Ep. XIII, 3. 2, XVIII, 1. 5.

Insolitum et a puriore sermone remotum est, dua tantum enunciationis membra non inter se vinculo conectere.

Ad Marc. de cons. 18. 8, ,istic erunt mille corporum, animorum pestes.' Lud. de mort. Cl. 1. 3, ,certa, clara affero.' De ir. II, 31. 4, ,Omnia puta, exspecta.' De ir. III, 5. 3, ,accusanda est apud nos, damnanda.' Ep. V, 6. 21, ,hoc habent inter cetera boni mores: placent, sibi permanent.'

Excusationem quandam habere videntur quodam anaphorae genere hujus modi loci:

De ir. I, 12. 3, ,inconfusus, intrepidus.' De ir. I, 3. 5, ,incitari, impingi.' Ep. II, 15. 3, ,continentiam, constantiam.' **Asyndeton in sententiis adversativis**: Ep. I, 8. 4, ,habere nos putamus: haeremus.' Ep. VI, 8. 9, ,utinam tantum non prodessent: nocent.' N. q. III, 27. 2, ,momento fit crinis, diu silva.' Ad Helv. de cons. 14. 2, ,bonis plurimum gavisa est, minimum usa est.' Ep. XIV, 3. 1, ,multas enim . . . vexavit, nullam . . . abstulit.' Ep. XIV, 3. 6, ,nunc incrementa lente exeunt, festinatur in malum.'

Negativae sententiae, per „non" expressae, cui opponi solet id quod rei negatione remotae succedit per particulas adversativas „at, sed, tamen," Seneca asserere amat sententiam, nullo vinculo inserto.

Ep. III, 5. 4, ,non enim subito impulsi ac prostrati sumus: carpimur.' Ep. I, 10. 3, ,non a summis labris ista venerunt: habent fundamentum.' Ep. IX, 1. 3, ,non cum

vacaveris, philosophandum est: omnia alia neglegenda sunt, ut huic adsideamus.' De ben. II, 8. 2, ,non est illud liberalitas: censura est.' Dial I, 4. 12, ,non est saevitia: certamen est.' De ir. II. 5. 1, ,haec non est ira: feritas est.' Ep. II, 2. 1, ,non nego, indulgendum illi; serviendum nego.' Ep. IV, 3. 2, ,non timeo, ne . . . timeo . . .' Ep. IV, 9. 3, ,effugere non potes necessitates, potes vincere.' Ep. XVIII, 4. 7, ,multare non possumus, id possumus sumere.' Ep. XVIII. 4. 3, ,effugere ista non potes, contemnere potes.'

Ep. XV, 3. 59, ,quomodo folia virere per se non possunt, ramum desiderant, cui . . .' Ep. XVII, 1. 8, ,si vita nostra non prominebit, in se colligitur.'

In recta rerum vel verborum oppositione, in qua per negativam enunciationem notio ea, quae antecedit, ex contraria notione definitur, omnes scriptores, quo orationi vim afferant, copula abstinent. Exempla igitur, qualia haec sunt: „De ir. I, 17. 2, ,et habent, non habentur,' Ep. XV, 2. 5, ,doces . . . non efficis,' proferre supersedeo. — Hoc tamen commemorare liceat, ab oratorum usu non quidem alienum esse, in extrema sententia adjicere per „non" id, quod contrarium sit, sed nomen ejus rei, quae negetur, praecedere. (Hand Turs. IV. pag. 263.) Apud Senecam ellipsis, in qua „non" ultimum locum obtinet, non addito vocabulo ex antecedentibus, non deest: Ep. XVII, 1. 7, ,Fama . . . desiderat, claritas non.' De ir. III, 15. 2, ,Praestabit, qui . . ., obiratus non.'

**„Item"**, quae particula saepe negationi apponitur, ad durius quod sit molliendum, (cf. Reisig-Haase pag. 431) ab Seneca non cum particula negativa conjungitur.

Permultis locis enunciationum duarum, quarum altera aut negat alteram aut rem contrariam contendit, singula membra ita posita sunt, ut sententiae prioris pars prior sententiae alterius parti alteri respondeat. Rhetorica gravitas efficitur eo, ut vox, quae maximum pondus habet, primo loco posita, quasi accentu efferatur: Ep. XV, 2. 32, ,altera

in totum, particulatim altera.' Ep. XV, 3. 31, ,publice jubentur, vetita privatim.' Ep. XVI, 2. 9, ,Plurimum libidini, legibus minimum.' Ep. XVII, 3. 2, ,Hominum effigies, animos ferarum.' Ep. XVIII, 5. 14, ,voluptates . . . traducere, laudare castum.' Ep. XV, 3. 15, ,desiderantibus alimenta . . . onera plenis.' Ep. XVI, 2. 16, ,multos . . . liberat poena, metu neminem.' Ep. XVI, 4. 24, ,effusissime flere, meminisse parcissime.' Ep. XV, 1. 1, ,multos inveni aequos adversus homines, adversus deos neminem.' Ep. II, 2. 1, ,non nego, indulgendum illi, serviendum nego.' Ep. IV, 9. 3, ,effugere non potes necessitates, potes vincere.'

**Anaphora.** Seneca hac figura proprie rhetorica summopere delectatur. Testes sunt hujusmodi loci: De ben. IV, 6. 1, ,tot metalla defodit, tot flumina . . . unde . . . trahis spiritum? unde . . .? unde . . .? unde . . .? non qui . . . sed qui . . . qui . . . qui . . . tot artes . . . tot vocum varietates . . . tot sonos . . . quam quod crescimus . . . quam quod . . . respondent.' — De ben. IV, 5. 1, ,unde ergo ista, quae possides? quae das, quae negas, quae servas, quae rapis ... unde ... unde ...? tot ... tot ... tot ...'

**Anaphora nominum.** De ben III, 38. 3, ,felices qui ... felices qui ...' De ben V, 16. 1, ,ingratus est Catilina ... ingratus . . . Coriolanus, ingratus C. Marius, ingratus L. Sulla ... ingratus Cn. Pompejus.'

**Anaphora verborum.** Ep. XIII, 3. 24, ,est aliqua moralis est aliqua rationalis.' De clem. II, 2. 1, ,erunt cives erunt socii digni.' cf. Ep. III, 8. 2, XIII, 3. 21. — Ep. XVIII, 5. 38, ,dixit Platon, dixit Zenon, dixit Chrysippus.' Ep. XIV, 2. 46, ,deerat . . . justitia, deerat prudentia, deerat temperantia.' Ep. V, 9. 4, ,desii . . . velle, desii posse.' De vit. beat. III, 35. 5, ,donabit . . . donabit . . . donabit.' De vit. beat. 18. 1, ,Platoni objectum est, objectum Epicuro, objectum Zenoni.' cf. De clem. II, 5. 2, Ep. VII, 4. 34. De ir. I, 16. 1, De ben. III, 19. 2, Ep. XV, 3. 53, XIV, 3. 17, XIII, 2. 17, XVI, 4. 12, N. q. II, 58. 10, Ad Marc. De cons. 12. 4, Ep. XIII, 3. 4, VIII, 3. 30, XVI, 4. 17, N. q. 4. pr. 17, De ben. II, 10. 3, De ben. VII, 9. 1, VIII, 4. 3.

Creberrine anaphora adhibita imperativi pondus augetur: De ir. I, 11. 4, ‚da rationem, da disciplinam!' Ep. V, 9. 10, ‚dic . . . dic . . . dic . . . dic . . .' Ad Polyb. de cons 12. 1, ‚respice optimos fratres, respice uxorem, filium respice.' — Dial. I, 4. 9, ‚fugite delicias, fugite enervatam felicitatem!' Dial. I, 6. 6, contemnite mortem . . . contemnite fortunam.'

**Plenarum sententiarum anaphora.** — N. q. III, 12. 9, ‚Quid est praecipuum? . . . quid est praecipuum? . . . quid est praecipuum? . . . quid est praecipuum?' — N. q. 1, prol. 3. ‚Quid est deus? mens universi. quid est deus?' Ep. V, 6. 1, ‚servi sunt, immo homines, servi sunt . . . servi sunt.' Ep. V, 6. 15, ‚servus est . . . servus est.' Ep. XIV, 4. 22, ‚adjicio caecitatem: non fit miser. adjicio debilitatem: non fit miser.' Ad Polyb. de cons 3. 5, ‚Luget Polybius et . . . Luget Polybius et . . .' De br. vit. 13. 6, ‚depugnant? parum est. Concinantur . parum est.' — Ep. IX, 1. 7, ‚cui aliquid abscedere potest, id . . . cui aliquid abscedere potest, id . . .' cf. N. q. V, 18. 12, I, 7. 2, II, 45. 1, V, 18. 3.

In anaphorae luxuria apparet, quod in Senecae dictione gravissimi momenti est, **concinnitatis studium** immodicum. Concinnitas cernitur aut eo, ut sententiarum casibus numeris, modis non libere mutatis verba verbis respondeant, aut eo, ut singulae enunciationes certos et circumscriptos ambitus complectantur et verba verbis quasi demensa ac paria sonitu sibi respondeant. Altera species — membrorum aequalitas — quae omnium, qui cultius scripserunt, propria orationem reddit elegantem politamque apud Senecam desideratur, altera, qua verborum sonus et mensura subtili diligentia aequatur, proprie rhetorica nimis elaborata ac studiose appetita est. — In his dictionis flosculis, de industria conquirendis nimius, multa videtur dixisse ob nullam aliam causam, quam ut antithesis lepidae corusco splendore delectaret. In eum vel maxime ipsum cadit, id quod queritur, plurimos suae aetatis auctores alicujus verbi decore ad id, quod ipsi non probent, affirmandum excitari. Magna proprietatum pars ex desiderio, verba ita eligendi et ordinandi, ut pariter cadentia quodammodo auribus

se inferant, ducenda est. Rem exemplorum summa copia ac varietate illustremus:

**Antimetabole.** De vit. beat. 14. 1, ‚ceterum non ipsi voluntatem sed ipsos voluntas habet.' De vit. beat. 8. 1, ‚nec voluptates sibi sed se voluptatibus.' De vit. beat. 20. 3, ‚omnes tamquam meas, meas tamquam omnium.' De ot. 7. 2, ‚nec hic sine actione contemplatur nec hic sine contemplatione agit.' De ben. I, 3. 9, ‚Nec his fabulas sed haec fabulis inserit.' De ot. 1. 2, ‚petita relinquimus, relicta petimus.' De ben. I, 7. 2, ‚qui dedit tamquam recepturus, recepit tamquam non dedisset.' De ben. V, 8. 6, ‚accipiendo das, dando accipis.' Ad Helv. de cons. 10. 3, ‚vomunt, ut edant, edunt, ut vomant.' De clem. I, 12. 4, ‚invisus sit, quia timetur, timeri vult, quia invisus est.' Dial. II, 2. 2, ‚neque enim Cato post libertatem vixit nec libertas post Catonem.' De ben. IV, 21. 3, ‚saepe enim et qui gratiam retulit, ingratus est et qui non retulit gratus.' De ben IV, 24. 2, ille ingratus est, quamvis non oporteat, quia expedit, hic gratus est, quamvis non expediat, quia oportet.' Cf. Ep. I, 3. 6, I, 10. 5, VII, 1. 7, X, 2. 29, XIV, 1. 8, V, 4. 11, XI, 2. 29, XIV, 1. 8, XV, 2. 7, XVIII, 1. 26.

Sono pariter cadenti aptissime inservit eo, ut alicui voci, nullis aliis verbis interpositis, eandem apponat.

De brev. vit. 17. 5, ‚excitat ambitionem ambitio.' De ben. II, 31. 5, ‚sufficit animus animo.' De ben. IV, 4. 1, ‚beneficiis beneficia vincendi.' Ep. XVII, 2. 11, ‚bonos bonus judicat.' Dial. I, 1. 5, ‚bona bonis noceant.' Dial. I, 12. 4, ‚contrariis in contraria agitur.' Ad Marc. de cons. 26. 4, ‚classes classibus frangi.' Ad Helv. de cons. 13. 7, ‚contumeliae ipsi contumeliam facere.' Ep. IV, 1. 3, ‚nec deficientem quamvis deficiatur.' Dial. I, 6. 5, ‚non egere felicitate felicitas nostra est.' Ep. XVII, 3. 1, ‚Ab homine homini.' Dial. I, 7. 2, ‚hominem hominibus praepositum.' De clem. I, 1. 5, ‚nemo unus homo uni homini.' De clem. II, 1. 2, ‚invitus invito.' Dial. II, 4. 7, ‚laedit eo, quod laeditur.' De tr. an. 5. 3, ‚libertatem libertas non tulit.' Ep. XIV, 1. 1, ‚magna magnorum ignorantia.'

Ep. XVIII, 6. 4, ,malus malo nocet.' De tr. an. 9. 3, ,malum malo opponitur.' De vit. beat. 25. 3, ,inter miserrima miserum.' De ben. IV, 40. 4, ,munus munere expungere.' De ben. VII, 15. 4, ,numero numerus aequandus est.' — De tr. an. 17. 2, ,si omnia omnibus patent.' De tr. an. 17. 2, ,si omnia omnibus gentium.' Dial. I, 1. 5, ,cum dis adversus optimos optimis. Ad Helv. de cons. 10. 6, ,quid opes opibus adgeritis?' Lud. de m. Cl. ,tam sibi similem sibi quam ovo ovum.' Ep. IV, 1. 9, ,animum projecit projectus.' De ben. IV, 27. 3, ,quam quidam quaedam.' Ep. XV, 6. 3, ,quaedam quibusdam.' De ben. II, 25. 1, ,rei rem debemus.' De ir. I, 16. 3, ,scelera sceleribus contexens.' De clem. I, 19. 5, ,securitas securitate. Ad Marc. de cons. 26. 6, ,sidera sideribus incurrent.' De ben. 6. 22, ,confusione rerum sidera sideribus incurrant.' Cf. De ben. VII, 9. 2, VII, 12. 1, III, 31. 1, II, 25. 1, V, 2. 2.

Atque huic opponendi vel conectendi eadem vocabula studio eam Senecae consuetudinem adjungam, qua verba solum praepositione, detracta vel variata, diversa conjungere amat.

De ben. VII, 30. 2, ,ex amico dubio . . . non dubius inimicus.' De ben. IV, 35. 5, ,consiliis certis incertos eventus.' Ep. V, 10. 7, ,virtutes discere est vitia dediscere.' Ep. XVII, 1. 9, ,certus adversus incerta.' N. q. I, 1. 10, ,si hoc fuissent, et defuissent.' Ep. V, 6. 7, ,infelicissimos esse felices.' Ep. XVI, 3. 10, ,nihil firmum infirmo est.' Ad Polyb. de cons. 1. 1, ,quid enim immortale mortales manus.' De ir. III, 27. 3, ,mansuete immansueta tractanda sunt.' De ben. V, 17. 3, ,praeturam negavit, consulatum pernegavit.' De ben. V, 17. 3, ,petam potius beneficium quam repetam.' De ben. V, 25. 3, ,magis repetendum beneficium quam petendum.' Ep. IX, 4. 9, ,scire se nesciunt.' — De vit. beat. 16. 3, ,alia adstricti alia destricti.' Ep. XVIII, 2. 5, ,explicari expediet non implicari.' Dial. II, 14. 3, ,majore animo non agnovit quam ignovisset.' Ad Helv. de cons. 12. 7, ,dedignatur . . . indignatur?'

Creberrime soni parilitas captatur duobus verbis, quae ex eadem voce derivata sunt, compositis.

De ot. 6. 3, ,si non actor deest sed agenda desunt.' Ep. IV, 1. 11, ,aequitatis inaequalitas.' Ep. XVIII, 1. 29, ,aequalis fuit in tanta inaequalitate.' Ad Helv. de cons. 1. 4, ,consolationis esse ipse consolator.' Ad Helv. de cons. 4. 5, ,explebunt inexplebilem animum.' N. q. II. praef. 4, ,in evitando inevitabili.' De tr. an. '14. 1, ,faciles etiam nos facere debemus.' Dial. I, 6. 6, ,ferte fortiter!' Ep. XIV, 3. 20, ,ne infameris ab infamibus.' Ep. I, 7. 4, ,interfectores interfecturis objici.' De ben. IV, 37. 5, insatiabilia satiabuntur.' De ben. IV, 13. 2, ,laboriosa, dum labores . . . periculosa dum periculis . . .' Ad Helv. de cons. 2. 5, ,lugenti tibi luctus.' Ep. IV, 10. 1, ,qui notorem dat, ignotus est?' De ir. III, 3. 2, ,non sine pernicie sua perniciosus.' De clem. II, 7. 4, ,parum sani sed sanabilis.' Ep. V, 6. 17, ,et non superbe superiorem.' Ad Helv. de cons. 8. 1, ,suas secum*).' Ad Marc. de cons. 4. 2, ,tristem tristitia sua facere.' De ir. II, 23. 1, ,tyrannus tyrannicidae.'

Deinde, quum mirifice Seneca consonantiam concinnam consectetur, in initiis quoque vocum talem syllabarum concentum amat, cujus generis haec sunt exempla:

Ep. III, 6. 7, ,stultorum divitum arrosor et quod sequitur arrisor.' De clem. I, 9. 9, ,nec ex conventione jam sed ex conscientia.' De clem. I, 8. 2, ,non immisit sed intendit.' Ep. XVIII, 4. 7, ,aestuandum . . . aegrotandum.'

Sequitur, ut eas formas commemoremus, quae spectabili terminatione pares, exitus habent soni pondere insignes (**Homoioteleuton**).

---

*) Omnibus scriptoribus collatio pronominum maxime personalium ac possessivorum ob concentum quendam admodum grata ac frequens est. Plurima apud Seneca pronominum scite compositorum exempla inveniuntur: Ep. 4. 8, ,te suas ad suum.' Ad Helv. de cons. 1. 4, ,huic hoc.' De ben. VII, 5. 1, ,interim hoc huic quaestioni.' Cf. Ep. XIV, 2. 8, VI, 9. 4. De ben. VII, 12. 3, ,quaedam quorundam sub certa condicione sunt.' Ep. XV, 6. 3, ,quaedam quibusdam prosunt.' De tr. an. 17. 2, ,omnia omnibus patent . . . omnes omnium gentium.' Cf. Ep. IV, 3. 1, ,aliunde alio commigratio est.' Ad Helv. de cons. 6. 8.

De brev. vit. 19. 1, ,tranquilliora, tutiora, majora.' Ep. IX, 3. 25, ,nec ordinatiorem, nec prudentiorem, nec honestiorem.' Ep. XVIII, 3. 7, ,quantam intentionem prudentia quantam modestiam reverentia.' — De ben. II, 24. 3, ,periculorum repetendorum, excipiendorum, repellendorum.' Ad Helv. de cons. 2. 8, ,officiorum recte dispensandorum.' De ben. III, 14. 3, ,dignitatem, securitatem, sanitatem.' De ir. I, 4. 2, ,stomachosum, rabiosum, clamosum.' Ep. XIII, 3. 24, naturalis ... moralis ... rationalis.' Ep. XX, 2. 3, ,precarium, non necessarium.' Ep. V, 12. 10, ,tacete, favete, praebete.' De ir. I, 12. 5, ,volentem, judicantem, providentem.' Ep. XIII, 1. 16, fabam metentes, mulium serentes.' Ep. XIII, 3. 19, ,sudem torquere, equum agitare, arma tractare.'

Ab his separandae sunt alius generis nugae, quarum concinnitas non derivationis similitudine sed sola soni parilitate cernitur. Non casu sed consulto consonare censeo: De ben. III, 15. 3, ,anulis plus quam animis creditur.' Ep. XIII, 3. 2, ,male mihi esse malo quam molliter.' Ep. V, 11. 6, ,vicit, vitiis victus.' De vit. beat. 20. 3, ,natum et naturae rerum hoc nomine.' N. q. II, 21. 4, ,ejusdem notae ac naturae.' Ep. III, 6. 7, ,arrosor et quod sequitur arrisor.' De ben. VI, 32. 4, ,qui maluit queri quam quaerere.' — Hujus loci similitudine commotus rectam esse censeo lectionem ex Pithoeano codice exhibitam et ab Mathiaeo (Observationes criticae in L. Annaeum Senecam Berol. 1867) probatam: Ep. VII, 1. 2, ,per lacrimas argumenta desiderii quaerimus et dolorem non querimur sed ostendimus.'

Postremo denique de ea concentus specie, quae non vocabulorum syllabis sed primis litteris consonantibus efficitur disputemus (**Allitteratio**). — Exempla qualia collegit Naeke (Rhein. Mus. 1829 p. 324) aliique qui de hoc usu verba fecerunt, — duas voces, seu substantiva seu substantivum cum adjectivo conjunctum, seu duo adjectiva seu verba—non censeo esse colligenda, cum, quid de industria quid fortuito compositum concentum praebeat, dijudicari non possit. Ego quidem allitterationem instrumentum esse censeo ad gra-

viter et ponderose aliquid dicendum, quod ultro natura ipsa praebeat. Testes sunt proverbia et nostra et latina, in quibus allitterationem non arteficiose elaboratam sed ex linguae natura profectam esse credimus. Si igitur substantivo, quod incipitur littera p, saepissime apponitur adjectivum, cujus prima littera eadem est, hoc nec fortuitum putamus nec inde, auctorem cogitate allitterationem consectatum esse, colligimus. Hoc loco ex exemplis allitterationis cumulatae et ut mihi quidem videtur, arteficiosae — pauca, quae et oculis cernere et auribus percipere facile est, proferamus:

Per allitterationem terrae motus describuntur: N. q. VI, 31. 1, ‚adsidue tremere Campania, clementius quidem sed ingenti damno, quia q u a s s a q u a t i e b a t, q u i b u s . . .' Conferantur hi loci, quibus allitterationes tum leviores tum insigniores reperiuntur: De tr. an 5. 1, ‚in qua civitate erat Areos pagos . . . in qua senatus populusque similis, c o i b a t c o t i d i e c a r n i f i c u m t r i s t e c o l l e g i u m e t i n f e l i x c u r i a.' Cf. De ben. II, 25. 2, ‚in certamen cursus compositum et carceribus inclusum. De ir. I, 20. 4, ‚oderint, dum metuant. Sullano scias seculo scriptum.' N. q. I, 5. 4, ‚singula stillicidia singula specula sunt.' — De ben. IV, 2. 4, ‚manifesta caecitas, primis postrema praeferre.' De ben. V, 16. 1, ‚post sceleris poenitentiam pius posuit arma.' De ben. V, 15. 2, ‚nec est quod . . . putes pro pessimo pravoque.' De ben. V, 21. 3, ‚ingratos palam ac pertinaciter praeteribo.' Ep. XI. 3. 2, ‚male mihi esse malo quam molliter.' De ben. I, 12. 1, ‚minime mortale munus est.'

Senecam minus argumentationi subtili quam futilibus ornamentis sagacibusque rhetoricae disciplinae artificiis operam dedisse, ostendunt **translationes et imagines**. Orationem non, ut Cicero dicit, imaginibus quasi stellis ornavit sed earum copiam ubertatemque sine dubio in summum perfectionis fastigium extollere studuit. Mira imaginum confingendarum sollertia praeditus, quidquid pluribus verbis comprobare aut noluit aut nequivit, imagine

splendida, quippe quae magis placeret, quam sobria ac modesta argumentatio, illustravit. Imagines autem poetae quidem, qui, non nimia immoderatione elatus, modum excedit, sermonem floridum, philosophi vero argumenta suspecta reddunt. Quacunque enim imagine utimur, utique hoc est periculum, ne similitudinem, longius productam ad res inter se diversas transferamus. Quamobrem fieri non potest, quin ab hoc scribendi genere corusco et ab flosculis studiose conquisitis, quorum lepida novitate aures titillantur aciesque oculorum praestringitur, taedio avertamur. Jam ex immodica translationum luxuria exempla quantum fieri potest, ordinate proferamus:

Variis ex animalibus petitae similitudines hae sunt: Ep. XIV, 2. 4, ‚non praecedit armenta degener taurus . . . elephantorum gregem excelsissimus ducit. Inter homines . . .' Ep. XV, 2. 41, ‚minuta quaedam animalia, cum mordent, non sentiuntur. Homines . . .' Ep. XV, 3. 41, ‚hereditatis causa facit; vultur est, cadaver exspectat.' Similis est similitudo: De ben. IV, 20. 3, ‚ingratum voco, qui aegro adsedit, quia testamentum facturus est . . . ut aves, quae laceratione corporum aluntur, lassa morbo pecora et casurae proximo speculantur, ita hic imminet morti et circa cadaver volat . . .' Cf. Ep. V, 1. 4, XIII, 3. 6, XIII, 2. 16, VII, 6. 4, IV, 12. 6.

Saepe herbae arboresque cum humanis conditionibus comparantur. Ep. XV, 3. 59, ‚quemadmodum folia virere per se non possunt, ramum desiderant, cui . . . sic ista praecepta . . .' De vit. beat. 9. 2, ‚sicut in arvo, quod segeti proscissum est . . . sic et voluptas . . .' De ben. II, 11. 4, ‚multa cura sata perducuntur ad segetem, . . . eadem beneficiorum condicio est.' Dial. I, IV. 16, ‚quid miraris, bonos viros, ut confirmentur, concuti? non est arbor solida nec fortis, nisi inquam frequens ventus incursat.' Cf. Ep. XV, 3. 63, IV, 9. 2, IV, 10. 4, IV, 12. 16, XI, 3. 9. De clem. II, 7. 4.

Vix ullum metaphorae genus frequentius est, quam quod ex corporis morbis desumptum ad animi affectiones

non convenientes transfertur: Ep. XV, 2. 17, ,bilis nigra curanda est et ipsa furoris causa removenda. Idem in hoc alio animi furore . . .' Ep. XV, 2. 5, ,si quid oculis oppositum morabitur aciem, removendum est; eodem modo . . . animum . . .' Cf. Ep. XV, 2. 18. — Ep. XV, 2. 24, ,nihil . . . efficient monitiones admotae gravibus vitiis. Ne medicina quidem morbos insanabiles vincit; ne ipsa quidem universae philosophiae vis . . . duram jam et veterem pestem animis extrahet.' Ep. XV, 2. 31, ,indoles . . . evalescit, si tamen illam diutina pestis nec infecit nec enecuit.' Ep. XV, 3. 36, ,at illis aut hebetibus et obtusis . . . robigo animorum effricanda est.' Ep. XVIII, 1. 17, ,Peregrinaris enim cum affectibus tuis. Medicina . . . aegro quaerenda est.' Ep. I, 2. 3, ,distringit librorum multitudo . . . non venit volnus in cicatricem . . .' De ot. 7. 4, ,itaque quod in pestilentia curandum est . . . ita in amicorum . . .' De ben. V, 12. 6, ,quemadmodum stomachus morbo vitiatus . . . ita animus caecus . . .' De clem. I, 17. 2, ,mali medici est desperare . . . idem in his, quorum animus . . . adfectus est.' Ad Helv. de cons. 5, ,omnis itaque luctus . . . admovebo . . . hoc erit non molli via mederi sed urere ac secare . . .' Cf. De ot. 2. 11, De brev. vit. 4. 6, De ben. III, 1. 5, Ep. II, 6. 1, II, 4. 3, I, 6. 1, III, 6. 9, III, 7. 4, III, 7. 6, II, 5. 12, VII, 7. 2, VII, 6. 7, VII, 6. 9, VIII, 12. 9.

Multae inveniuntur metaphorae, ex rebus nauticis et maritimis desumptae.

Ep. II, 2. 8, ,longe ab illa regione verticibus infami cursum tenet (gubernator). Idem facit sapiens.' Ep. II, 4. 3, ,sedet philosophia ad gubernaculum et per ancipitium fluctuantium dirigit cursum.' Ep. II, 2. 15, ,Quid ergo? utique erit tutus, qui hoc propositum sequitur? Perit aliqua navis in portu.' Ep. II, 7. 8, ,In tumultu ac semper novibus fluctibus senescendum est.' Ep. II, 7. 9, ,hic te exitus manet, nisi jam contrahas vela, nisi terram legas.' Ep. XV, 3. 45, ,proponamus oportet finem . . . velut navigantibus ad aliquod sidus dirigendus est cursus.'

De brev. vit. 7. 10, ‚non est itaque, quod quemquam propter canos aut rugas putes diu vixisse. Quid enim, si illum multum putes navigasse, quem saeva tempestas . . .' Ep. III, 2. 8, ‚ceteri eorum more, quae fluminibus innatant, non eunt sed feruntur, ex quibus alia lenior unda detinuit ac mollius vexit, alia . . . rapuit . . . alia . . . deposuit, alia . . . ejecit.' Cf. Ep. II, 7. 1, III, 7. 7, XV, 3. 7, De ben. II, 4. 8, I, 10. 1.

Agmen claudant translationes petitae ex ludis rebusque ad artem gymnasticam et corporis exercitia spectantibus: Ep. XVIII, 3. 11, ‚latrunculis ludimus; in supervacuis subtilitas teritur.' Ep. XVI, 3. 8, ‚. . . petauri, quo humana jactantur.' De brev. vit. 9. 4, ‚non in cursu tantum circique certamine sed in his spatiis vitae interitus flectendus est.' De ben. II, 17. 4, ‚audacius pilam mittemus . . . si cum tirone et indocto . . . idem faciendum est in beneficiis.' De ben. V, 3. 1, ‚Lacedaemonii vetant suos pancratio aut cestu decernere . . . Hoc . . . virtus ac bona voluntas omnibus praestat.' De ben. V, 8. 4, ‚Ut in orbe ac pilo . . . ita in homine . . .' De clem. I, 1. 7, ‚Magnam adibat aleam populus Romanus, cum incertum esset, quo se ista tua nobilis indoles daret.' De vit. beat. 15. 6, ‚quemadmodum corpus in proclivi retineri debet, adversus ardua impelli, ita quaedam virtutes . . .'

Ad auctoris **vocabulorum copiam** transituri eo continemur, ut brevem vocum, quae apud Senecam comparent noviciae, indicem proponamus. Novicias autem dico non quas tum demum provenisse velim existimari sed eas, quarum testis atque auctor Seneca unus esse videatur. Et eum quidem ordinem instituamus, ut genera, hoc est nomina — vel substantiva vel adjectiva — verba, adverbia separemus, vocibus per terminationes et literas digestis.

**Nomina substantiva.**

—men —mentum. De ir. III, 9. 2, ‚concitamentum.'— (= incitamentum.) ‚lituos et tubas concitamenta esse, sicut quosdam cantus blandimenta.'

Ep. XIV, 2. 28, ‚initiamenta.' — ‚haec ejus (philosophiae) initiamenta sunt.'

De tr. an. 20. 2, ‚mollimentum' — ‚calamitatum mollimentum consuetudinem invenit.'

Vocabula novicia in — „men" apud Senecam non inveniuntur. Inter suffixa „men" et „mento", quae eandem fere vim habere alterumque ex altero ortum esse, P. W. Corssenius exposuit (Kritische Nachträge, Seite 124), haec differentia videtur, ut terminatio „men", verbo adjuncta nihil aliud significet quam rem, cui verbi primitivi vis inest, — „mento" rem, in qua haec vis non modo exstat sed etiam excitatur et apparet. „Medicamen" medicandi vim habet, „medicamentum" eam cum habet, tum ostendit.

Hujus autem formamenti natura, quippe quae quasi concreta rem conspicuam faciat, Senecae naturae magis respondet et, quod alterius formae voces plurimae sunt alterius perrarae, declarat. Si vero hoc discrimen paullatim evanuisse nec jam satis acriter Senecae aetate sentiri concedimus, hoc certo constat, „mentum" pleniorem sonum habere quam — „men" ac Senecam ex duabus formis utique eam praeferre, quae ad orationem rhetorico ornamento ornandam aptior videatur. Cui rei hic index documento sit:

Dial. I, 4. 15, ‚alimentum.' De ir. II, 12. 6, ‚auctoramentum.' Ep. IV, 8. 1. — De ir. III, 4. 4. ‚argumentum.' De ben. VI, 15. 6, ‚armamenta.' De ir. III, 9. 2, ‚blandimentum.' De ir. II, 19. 1, ‚elementum.' Dial. I, 4. 3, ‚experimentum.' Ep. XXIX, 1. 2, ‚explementum' (exceptis duobus locis Plaut. Stich. I, 3. 19, et Sen. suas. 2. apud alios non invenitur). Dial. I, 4. 9, ‚fomentum.' De clem. I, 13. 2, ‚ferramentum.' Dial. II, 5. 4, ‚incrementum.' Cf. De ir. I, 20. 1, II, 19. 4, III, 1. 5, Dial. VI, 16. 7, VI, 21. 7, XI, 9. 6. — De ir. I, 17. 1, ‚instrumentum.' N. q. IV, 2. 18, ‚operimentum.' De ir. II, 25. 3, ‚sternutamentum.' De ir. II, 5. 4, ‚sacramentum.' De ben. IV, 28. 1, ‚temperamentum.' Dial. II, 4. 1, ‚tormentum.'

Recentiora seculique Senecae propria haec videntur: Ep. XIII, I. 20, ‚capillamentum.' Dial. II, 19. 3, ‚dehonestamentum.' N. q. VI, 13. 17, indumentum.'

De. ir II, 21. 6, ‚laxamentum.' Dial. IX, 9. 7, ‚loculamentum.' Dial. II, 6. 4, ‚machinamentum.' Ep. VI, 5. 2, ‚spiramentum.' Cf. Dial. I, 6. 9, Ep. 4, 2. 2, ‚spissamentum.' Ep. V, 6. 3, ‚sternumentum.' De ir. II, 25. 3, ‚sternutamentum.'

Voces, quarum formae gemellae apud alios auctores occurrunt, neque vero innotescunt apud Senecam:

Dial. I, 3. 8, ‚documentum' — ‚documen': Lucr. 6. 392, Terent.

Dial. IX, 1. 3, ‚duramentum' — ‚duramen': Lucr. 6. 530.

De ir. II, 1. 2, ‚firmamentum.' Cf. Dial. VI, 20. 4. — ‚firmamen': Ov. Met. 10. 491.

De ir. I, 2. 2, ‚fundamentum' — ‚fundamen': Verg. Ov.

De ir. I, 8. 2, ‚irritamentum.' Cf. De ir. II, 9. 2, — ‚irritamen': Ov. Met. 10. 400.

Dial. XI, 8. 4, ‚levamentum.'

Dial. I, 13. 12, ‚medicamentum.' Cf. Dial. VI, 11. 4.

Dial. VI, 11. 4, ‚molimentum' — ‚molimen': Lucr. 4. 900, Ov. Hor.

Dial. II, 6. 4, ‚munimentum' — ‚munimen': Verg. Ov.

De clem. I, 12. 3, ‚nutrimentum' — ‚nutrimen': uno loco Ovidiano (Met. 15. 354) invenitur.

Dial. I, 2. 8, ‚oblectamentum' — ‚oblectamen': Ov. Stat. silv. III, 5. 95.

Dial. XII, 18. 7, ‚piamentum.' Pl. — ‚piamen': Ov. Fast. 2. 19.

Dial. II, 2. 3, ‚purgamentum' — ‚purgamen': Ov. Met.

Dial. VI, 15. 3, ‚velamentum' — ‚velamen': Verg. Ov. Juv. Tac.

Ex toto hujusmodi verborum genere inveniuntur: N. q. VI, 25. 3, ‚tegimen.' — De ir. II, 21. 3, ‚regimen.'

— **„tio"**, seu — **„sio"**.

N. q. V, 12. 5, ‚arietatio' — ‚ipsa arietatio inter se magnorum corporum.' Verbum primitivum: Ep. VI, 4. 13, XVIII, 4. 2, De ir. II, 3. 3, De vit. beat. 8. 3, De tr. an. 1. 10.

N. q. IV, 3. 3, ‚excavatio.' — ‚Haec ipsa excavatio rotunda fit.'

N. q. II, 56. 1, ,fulguratio' — ,fulgurationem esse ignium conatum.' Cf. N. q. 2. u. 3, ,de tonitru, fulminibus ac fulgurationibus.' Cf. N. q. I, 1. 6.

N. q. II, 12. 1, ,fulminatio' — ,fulguratio ostendit ignem, fulminatio emittit.' Cf. N. q. II, 12. 2, ,fulgurationes et fulminationes.'

De clem. II, 4. 2, ,laniatio' — ,in caedes hominum et laniationes venit.'

Ep. XVII, 1. 13, ,mendicatio' — ,foeda vitae mendicatio.'

Ep. XIII, 2. 19, ,orbatio' — ,paupertas non per positionem vel ut antiqui dixerunt, per orbationem, Graeci dicunt κατὰ στέρησιν.'

De ir. III, 15. 3, ,refrenatio' — ,necessaria est ista doloris refrenatio.'

Dial. II, 6. 3, ,ulceratio' — ,dolores, damna, ulcerationes.'

„Ulceratio", quamquam „ulcerare" paucis illis locis, quibus invenitur, verbum transitivum, idem est atque „ulcerosum facere", hoc loco notionem habet vocis „ulcus". Suffixi „io" ea est propria natura, ut actum eum significet, qui verbo primitivo exprimitur. Recentiorum maxime abusione haec, quae terminationi inest, vis activa ad significationem passivam delapsa est. Cf. N. q. IV, 3. 3, ,haec ipsa excavatio rotunda fit.' „Excavatio", quae vox pro natura sua excavandi actum significat, hoc loco excavatum ipsum exprimit. — „Gestatio" passive sumitur pro exercitatione, qua quis equo, navi, curru, lectica vehitur. Ep. II, 3. 6, „gestatio et corpus concutit et studio non obficit.' Ep. VI, 3. 1, ,a gestatione cum maxime venio.' Cf. Ep. XVIII, 1. 18.

N. q. VI, 21. 2, ,succussio' — ,succussio est, cum terra quatitur et sursum ac deorsum quatitur.'

Ep XIII, 1. 18, ,spissatio' — ,terram . . . calcavit et pressit. Negat, quicquam esse hac ut ait spissatione efficacius.' Adjectivo „spissus" vocabulisque ex eo derivatis Seneca non raro utitur. „Spissus": De ben. I, 3. 7.

Ep. 9. 5, ,navis firma et spissa.' Ep. XI, 2. 4, ,spississimum.' N. q. II, 10. 1, ,spissior.' Ep. IV, 2. 2, ,spissamentum.'

N. q. II, 3. 10, ,spissitudo.' Haec ipsa quoque causa est, cur „pisatione" vel „positione" pro ista lectione, meliorum codicum fide comprobata, perperam ab quibusdam supponatur.

De vit. beat 5. 3, ,vellicatio' — ,non tantum lacerationes sed etiam vellicationes.'

N. q. II, 15. 1, ,diruptio' — ,aer in corporum diruptione reddit sonitum.'

— **us.** Unum substantivum et hoc verbale inveni:

Ep. XV, 2. 36, ,dispectus' — ,dispectus rerum agendarum.'

De ir. 2. 9, ,neglecto dispectu utilitatis.' Ep. XVIII, 6. 16, ,dispectum utilitatis.'

— **ura.** Ep. XVI, 2. 9, ,conciliatura' — ,conciliaturas exercere.'

Ep. XVI, 5. 6, ,concisura' — ,concisura aquarum, cubiculis interfluentium.'

— **tor (sor).** Ep. I, 6. 7, ,arrisor' — ,arrosor stultorum divitum et quod sequitur arrisor.'

Ep. XIII, 2. 5, ,computator' — ,diligentissimi computatores sic rationem componitis.'

De ben. II, 17. 6, ,imputator' — ,superbi et imputatores.'

De ben. I, 4. 1, ,exprobrator' — ,alias graves exprobratores exactoresque sumus.'

Ep. XVIII, 5. 8, ,irritator' — ,cum irritator accessit, tunc animi bona . . . excitantur.'

Ep. XIII, 2. 9, ,vomitor' — ,isti jejuni vomitores.'

Eundem in modum et ad idem significandum affiguravit:

Ep. XVI, 1. 4, ,nausiator' — ,nausiator erat Ulixes.'

Verba „nausiare" et „nausia" Senecae admodum placuisse, cum multi loci ostendunt, quibus haec verba inveniuntur — „nausiare": Ep. XIV, 1. 21, Dial. I, 3. 6, Ep. IV, 18. 1, De ir. III, 37. 3, nausia: Ep. VI, 6. 4, De ir. II, 2. 8, — tum etiam alterum vocabulum, hoc ex verbo

3*

derivatum et ab ceterorum usu prorsus alienum: Ep. V, 6. 8, ‚nausiabundus.' Cf. Ep. XVIII, 5. 20.

Ep. XVIII, 6. 14, ‚ordinator' — ‚advocatus et litis ordinator.'

Ep. XIX, 5. 25, ‚subministrator' — ‚subministrator libidinum.'

De ben. 7. 22, ‚exprobratrix' — ‚exprobratrix memoria.'

Ep. XV, 3. 19, ‚vastatrix' — ‚luxuria terrae marisque vastatrix.'

**Abstracta in — „ia".** De tr. an. 2. 10, ‚displicentia — ‚hinc illud est taedium et displicentia sui.'

Ep. V, 9. 7, ‚vafritia' — ‚non vacat mihi . . . vafritiam in illis experiri.'

## Nomina adjectiva.

— **„bilis".** Ep. XIII, 3. 43, ‚disputabilis' — ‚disputabilis omnis res in utramque partem.'

N. q. VI, 8. 4, ‚eluctabilis' — ‚aquae eluctabilis.'

Ep. XV, 2. 40, ‚inclinabilis' — ‚dubios et in pravum inclinabiles animos.'

De ir. I, 3. 7, ‚explanabilis' — vox est quidem sed non explanabilis et perturbata.'

Ep. XV, 3. 29, ‚remediabilis' — ‚levi quoque cura remediabilis.'

N. q. V, 5. 2, ‚inagitabilis' — ‚aera inagitabilem esse.'

De ir. II, 12. 4, ‚indefatigabilis' — ‚vigiliam indefatigabilem extendit.'

N. q. III, 29. 2, ‚gubernabilis' — ‚gubernabile corpus.'

Dial. 2. 33, ‚involnerabilis' — ‚cum involnerabili hoste.' Ep. I, 9. 2, ‚involnerabilem animum.' Dial. II, 3. 3, involnerabile est non quod non feritur sed quod non laeditur.

Ep. XIX, 8. 5, ‚expetibilis' — ‚expetendum est, inquiunt, quod bonum est; expetibile, quod nobis contigit, cum bonum consecuti sumus.'

Ep. XX, 7. 2, ‚intellegibilis' — ‚sensibile judicant bonum, nos contra intellegibile.' Hoc quoque vocabulum Senecam, quo concinnitatis studio indulgeret, voces novi-

cias confinxisse ostendit. Cf. Ep. I, 6. 7, ‚arrosor . . . et quod sequitur arrisor.'

Quod nullo vocum derivativarum genere Seneca fuit feracior, non est mirum, cum formae illae ponderosae ac pleno ore profundae vel potissimum ad ornandam rhetorice orationem idoneae sint. Quantopere hujus inclinamenti voces dilexerit, evidentius facere liceat aliquot exemplis: De ir. III, 53. 1, ‚desiderabilis.' De clem. II, 7. 1, ‚emendabilis.' De ir. I, 3. 7, ‚explanabilis.' Dial. I, 4. 8, ‚flebilis.' Ep. XVIII, 1. 25, ‚formidabilis.' N. q. 4. 2, ‚impenetrabilis.' De ir. II, 52. 3, ‚implacabilis.' Ep. IX, 4. 12, ‚improbabilis.' N. q. VII, 13. 1, ‚innumerabilis.' Ep. III, 4. 1, intractabilis.' N. q. III, 22. 1, ‚inenarrabilis.' De. clem. I, 7. 1, ‚inexorabilis.' Cf. De clem. X, 5. 1, Ad Polyb. de cons. 7. 1, De ben. VII, 3. 1, ‚inexplebilis.' N. q. II. 42, 2, ‚inevitabilis.' Cf. De ir. II, 2. 1, Ep. III, 13. 5, V, 9. 10, N. q. 2. 50, N. q. 4. praef. 11, ‚inexpugnabilis.' De ben. VII, 8. 3, ‚inextricabilis.' De ben. IV, 12. 1, ‚insolubilis.' Ep. III, 4. 1, ‚intractabilis.' Dial. I, 5. 8, ‚irrevocabilis.' Ep. II, 2. 4, ‚mobilis.' N. q. III, 10. 1, ‚mutabilis.' N. q. III, 8. 1, ‚navigabilis.' N. q. III, 16. 2, ‚notabilis.' De ir. III, 5. 8, ‚penetrabilis.' Cf. N. q. IV. praef. 6. Ep. XX, 7. 2, ‚sensibilis.' Ep. XV, 3. 52, ‚sociabilis.' Dial. I, 5. 1, ‚tolerabilis.' N. q. III, 12. 2, ‚tractabilis.' De ir. I, 6. 3, ‚revocabilis.' N. q. III. praef. 7, ‚stabilis.'

Non ante Senecam inveniri videntur:

Ep. XIV, 2. 18, ‚consummabilis.' Ep. XVI, 6. 16, ‚cogitabilis.' De ben. IV, 23. 2, ‚observabilis.' Ep. VII, 4. 14, ‚indeclinabilis.' Ep. VII, 1. 7, ‚infatigabilis.' Cf. De vit. beat. 7. 1. — Ep. XX, 1. 17, ‚insecabilis.' Ep. VII, 4. 10, ‚inseparabilis.' Cf. Ep. XX, 1. 10, De ir. III, 41. 4, ‚inemendabilis.' Cf. Ep. XVI, 1. 2, XVIII, 1. 6, De vit. beat. 14. 2, ‚irrationabilis.'

Contra normam, quae — paucis verbis, ut „flexibilis", „comprehensibilis" exceptis — his in vocabulis formandis observatur, a participio inclinata sunt:

Ep. VII, 4. 14, ‚inflexibilis.' Cf. Ep. XV, 3. 63. Plin.

N. q. VI, 24. 1, ‚comprehensibilis.' — Uno loco apud Ciceronem invenitur — Acad. I, 11. 41.

N. q. VI, 32. 1, ‚incomprehensibilis.' Cf. Ad Helv. de cons. 10. 11, Ep. XV, 2. 14, Colum. Plin.

— „**arius.**“ Ep. VI, 4. 3, ‚crustularius.'

Ep. VI, 4. 3, ‚botularius' — ‚jam librarii varias exclamationes et botularium et crustularium.'

Ep. XIV, 2. 31, ‚vitrearius' — ‚vitrearium, qui spiritu in varios habitus format.' Sunt qui scribi velint „vitrarium“. Quam emendationem superfluam habeo, quum hae formae legitime quidem ab nomine substantivo deriventur, nonnullae vero, quod quidem cujusvis aetatis monumentis comprobatur, ab adjectivo inclinentur. Cui rei haec specimina documento sint: „barbaricarius, duplicarius, singularius, bellarius, sacrarium, castrensarius, plumbearius.“

Hae formae inclinatae videntur a verbis et ita quidem, ut vim induant activam.

De ben. II, 23. 2, ‚pararius' — ‚nec pararios interponi nec chirographum dari.' Cf. De ben. III, 15. 2, ‚interpositis parariis.'

Lud. de m. Cl. 6. 1, ‚perpetuarius' — ‚mulio perpetuarius.'

Ep. VII, 6. 4, ‚effractarius' (= effractor; supponendum est verbum, quod non exstat, „effractare“) — ‚vile videtur, quicquid patet; aperta effractarius praeterit.'

Ep. IX, 1. 12, ‚refractarius' — ‚contumaces esse ac refractarios.' (Apud Ciceronem adjectivum ex hoc derivatum „refractiolus“ occurrit.)

Ab adverbio inclinatum est adjectivum „tolutarius“ („tolutim“). Ep. XIII, 2. 10, ‚equus tolutarius.'

De ben. IV, 36. 2, ‚linguarium' — ‚ut postea consideratius loquaris, quod dicere solemus linguarium dabo.'

Ep. XVI, 2. 2, ‚stillarium' — ‚stupra insuper stillarii loco exacta sunt.'

Ep. IV, 10. 1, ‚summarium' — ‚Vide ne plus profe-

ctura sit ordinaria oratio quam quae nunc vulgo breviarium dicitur, olim cum latine loqueremur, summarium.'

Ep. IX, 2. 12, ‚compendiarium' (= compendiarium iter) — ‚ita dico Lucili et te in coelum compendiario ducam.' — Idem significat: Ep. 20. 2, ‚compendiaria' sc. „via" — ‚ad maximas te compendiaria ducam.' „Compendiarius", attributive vel praedicative positum, non est inusitatum.

De ben. VI, 3. 2, ‚quaestuaria' — ‚ex adultera in quaestuariam versa.'

Ep. XIX, 8. 30, ‚latruncularius' — ‚latruncularium tabulam.'

Ab ceterorum usu abhorret, quod „bestiarius" adjectivi vicibus fungitur: Ep. VIII, 1. 22, ‚bestiarius ludus.'

Vocabula novicia in „aris", quod suffixum quasi formam esse gemellam, fusius exposuit P. W. Corssenius (Krit. Beitr. p. 336) apud Senecam non exstant.

— „**orius**." Adjectiva a nominibus verbalibus in „tor (sor)" inclinata:

N. q. II, 39. 2, ‚monitorius' — ‚monitorium fulmen.'

N. q. II, 49. 1, ‚monitoria fulmina.'

N. q. II, 49. 1, postulatorius' — ‚postulatoria fulmina.'

— „**icius**." Ep. I, 7. 4, ‚postulaticius' — ‚hoc plerique ordinariis paribus et postulaticiis praeferunt.'

Ep. VI, 1. 6, ‚perpessicius' (= omnia perpetiens) ‚accipite Socratem, perpessicium senem, per omnia aspera perlatum.' — Inter omnes hujus ficturae voces alteram opinor non inveniri, quae ex verbo deponentiali derivata sit et ideo ab justa patiendi notione ad agentis deflexerit.

— „**ivus**." Ep. XV, 3. 10, ‚contemplativus' — ‚philosophia autem et contemplativa et activa est; spectat simul agitque.' Cf. Ep. XV, 3. 11, ‚ars contemplativa.'

Ep. XIX, 8. 13, ‚enunciativus.' — ‚has deinde sequuntur motus animorum enunciativi . . . enunciativum quiddam de corpore . . . quod alii . . . vocant . . . enunciatum.'

N. q. II, 47. 1, ‚prorogativus' — ‚perpetua esse fulmina aut finita aut prorogativa.' Cf. N. q. II, 48. 1.

Dial. II, 10. 1, ‚inhonorificus' — ‚ob factum dictumque inhonorificum.'

Ep. IX, 1. 7, ‚imperpetuus' — ‚Cui quid abscedere potest, id imperpetuum est.'

Ep. XVI, 3. 11, ‚peringratus' — ‚peringratus est, qui, cum amiserit, nihil pro accepto debet.'

Ep. VII, 4. 25, ‚recalvaster' — ‚ut ex duobus aeque justis ac prudentibus comatum et crispulum malis quam recalvastrum.' — Plurimis in codicibus deest „quam recalvastrum". Quamobrem nescio an rectum sit id quod Fickertus censet haec spuria ab iis apposita esse, qui sententiam magis concinnam priori accommodare voluerint.

— „**bundus.**" De vit. beat. 18. 3, ‚reptabundus' — ‚ex ingenti intervallo reptabundus sequar.'

De vit. beat. 12. 3, ‚ructabundus' — ‚ructabundus semper atque ebrius.'

— „**osus.**" De br. vit. 12, ‚aeruginosus' — ‚aeruginosis lamellis.' Dial. I, 1. 2, ‚aeruginosa manus.'

— „**eus.**" N. q. II, 49. 2, ‚atterraneus' — ‚atterranea fulgura.'

N. q. II, 49. 1, ‚dentaneus' — ‚dentanea fulgura, quae speciem periculi sine periculo afferunt.'

— „**ius.**" Verbalia: Ep. IV, 4. 3, ‚ocliferius' (per synicesin ex „oculifer") — ‚non habemus itaque ista ocliferia nec emptorem decipimus, nihil inventurum.' — Sunt qui scribi velint „odorifera". Codices habent lectionem „odifera". Qua ab forma quum minus aberret „ocliferia" quam „odorifera" — facile enim contrahi potuit „cl" in „d" — scribunt Haasius et Fickertus „ocliferia". Huc accedit quod idem tropus invenitur: Ep. XIII, 3. 8, ‚imperitorum oculi feriuntur.'

Ep. XVI, 3. 8, ‚satagius' (=qui satagit) — ‚istos satagios ac sibi molestos.'

Ep. IV, 11. 4, ‚tardiloquus' — ‚summa summarum tardiloquum te esse jubeo.'

Ep. XII I, 1.22, ‚grandiscapius' — ‚arbores, ut ita dicam, grandiscapiae.'

Postremo enumeremus **participia**, quae, cum verba desiderentur, adjectivorum vices sustinent: De ben. VII, 10. 3, ‚cubiculatus' — ‚cubiculatas (naves) et alia ludibria regum, in mari lascivientium.'

De ben. II, 12. 2, ‚soccatus' — qui de capite consularis soccatus audiebat.'

N. q. IV, 13. 10, ‚occallatus' — ‚emortuae fauces et occallatae cibis ardentibus' („occallescere": De ir. III, 41. 4).

Ad Marc. de cons. 10, ‚emaceratus' — ‚aliis morborum generibus emaceratus.'

N. q. I, 2. 45, ‚inconfusus' — ‚ut inconfusus erat mundus.' N. q. III. praef. 1, ‚vir bonus exsequitur inconfusus.' De ir. I, 12. 2, „vir bonus inconfusus.'

Ad Marc. de cons. 2. 5, ‚circumlucens' — ‚circumlucentem fortunam.'

N. q. VI, 25. 1, ‚subtervacans' — ‚in illum locum subtervacantem.'

N. q. prol. 16, ‚inobsequens' — ‚id, in quo exercetur, saepe inobsequens arti est.'

## Nomina deminutiva.

Ep. VI, 1. 6, ‚punctiuncula' — ‚pedes dolent, articuli punctiunculam sentiunt.'

Ep. II, 8. 5, ‚exceptiuncula' — ‚licet illam exceptiunculam non adjicias.'

Ep. IV, 2. 9, ‚procuratiuncula' — ‚quae tamen omnia transisti procuratiunculae pretio.'

Ep. III, 2. 3, ‚hilariculus' — ‚an tu existimas, quemquam soluto voltu et ut isti delicati loquuntur, hilariculo mortem contemnere?'

Lud. de m. Cl. 9. 4, ‚nummulariolus' — ‚designatus consul nummulariolus.'

Ep. I, 12. 3, ‚deliciolum' — ‚vilici filius, deliciolum tuum' („deliciolae": Cic. ad Att. 1. 8, „deliciolae nostrae Tulliola").

De deminutivis formatis ac vi, quae iis inest naturali, plenissime disputaverunt: Schwabe „de deminutivis Graecis et Latinis". Gissae 1859 et Müllerus „de linguae latinae deminutivis, Regim. 1865". Hoc loco satis est statuere, verbis deminutivis, quippe quorum natura festiva comique ac soni amplitudine Seneca valde delectetur, ornamentum rhetoricum haud omittendum contineri. Operae igitur pretium putavi, hunc deminutivorum, ex omnibus Senecae operibus collectorum indicem proponere:

Ep. V, 6. 17, ‚ancillula', Ep. XIV, 4. 13, ‚arcula', N. q. II, 31. 2, ‚astula'. Ep. V, 6. 17, ‚anicula'. Cf. N. q. VI, 32. 3. Lud. de m. Cl. ‚capsula', Lud. de m. Cl. 9. 4, ‚civitatula', De vit. beat. 9. 2, ‚herbula', De vit. beat. 21. 3, ‚lamella', De ben. VI, 15. 1, ‚mercedula', Ep. VII, 1. 13, ‚muliercula', Cf. Ep. VII, 4. 53, De clem. II, 5. 1, De vit. beat. 27. 4, ‚papula', Ep. IV, 3. 3, ‚particula'. Cf. Ep. VIII, 2. 4, N. q. II, 7. 1, Dial. I, 1. 1, De ir. III, 43. 1, ‚pusula', Ep. XIV, 4. 5, ‚scintilla'. Cf. De ot. 5. 5, Ep. XIV, 2. 17, ‚stipula.' Ep. XVI, 1. 5, ‚turturilla'.

De ben. III, 7. 31, ‚agellus.' Cf. Ep. XV, 7. 2, Ep. XIV, 2. 22, ‚aqualiculus', Ep. VI, 1. 6, ‚articulus', Ep. XIII, 1. 5, ‚balneolum'. Ep. IX, 3. 21, ‚catulus', Ep. IV, 3. 27, ‚circulus', Ep. VI, 6. 29, ‚corpusculum'. Cf. N. q. II, 6. 2, V, 1. 2, V, 4. 3, VI, 3. 2, Ad. Helv. de cons. 11. 7, De vit. beat. 4. 4, Ep. XVI, 4. 27, ‚crustulum', Ep. IV, 4. 1, ‚flosculus'. Cf. Ep. V, 4. 7, Ep. V, 8. 14, ‚folliculus', Ep. VII, 4. 51, ‚foculus', N. q. I, 2. 7, ‚lapillus', Ep. XVIII, 3. 1, ‚latrunculus', Ep. XX, 7. 23, ‚lepusculus', Ep. VII, 5. 2, ‚libellus', Ep. VII, 5. 2, ‚lectulus', De ben. VII, 31. 2, ‚lucellum', Ep. IX, 3. 7, ‚munusculum', Cf. N. q. IV, 7. 1, N. q. IV, 7. 1, De ben. IV, 40. 4, N. q. IV, 13. 10, ‚palliolum'. De ben. VII, 19. 1, ‚reticulum', Ep. VIII, 1. 16, ‚scalpellum', Cf. De ir. II, 27. 3, III, 39. 4, Ep. XIII, 2. 18, ‚sacculus,' Cf. De ben. II, 10. 1, Ep. XIII, 2. 18, De ben. II, 12. 1, ‚socculus', Ep. V, 9. 1, ‚servulus', Cf. Dial. II, 11. 3, De ir. II, 18. 7, III, 12. 6, III, 32. 7, Ep. XVIII, 5. 23, ‚tirunculus',

Ep. XIII, 2. 9, ‚trossuli', Ep. IX, 1. 6, ‚ulcusculum', Ep. XIX, 7. 7, ‚homuncio'.

Ep. VII, 4. 25, ‚crispulus', Lud. de m. Cl. ‚Graeculus'. N. q. III, 12. 2, ‚masculus', De ben. I, 3. 9, ‚meliusculus', De ben. IV, 6. 2, ‚parvulus', Cf. Ep. XIV, 1. 3, De clem. I, 12. 2, ‚pauculi'. Lud. de m. Cl. 3. 3, N. q. II, 32. 2, ‚pusillus', Cf. N. q. IV, 11. 5, Ep. XIII, 1. 1, XIII, 3. 13, XVI, 5. 9, XVI, 5. 10, XVIII, 4. 12, XII, 2. 13, XX, 1. 12, Lud. de m. Cl. 13. 3. Saepe apponitur vocabulo „animus": De vit. beat. 23. 3, ‚pusilli animi'. Cf. Ad. Helv. de cons. 9. 2, De ir. 3. 53, De ben. II, 2. 74, ‚ingenii tam pusilli', Ep. XVI, 4. 10, ‚quantulus'.

## Verba.

De vit. beat. 6. 1, ‚collatrare' — ‚qui philosophiam collatrant.' Cf. Ad Marc. de cons. 22. 5, „circumlatrare", quod verbum praeter hunc et unum locum apud Symmachum (Ep. 8. 7) non invenitur.

De brev. vit. 2. 2, ‚effocare' — ‚bonis suis effocantur.'

Ep. XIX, 1. 7, ‚incursitare' — ‚tota vita incursitamus.' Cf. De vit. beat. 27. 1, ‚alter in alterum incursitate.' Cf. De ir. 2. 35.

Ep. VIII, 2. 20, ‚rigidare' — ‚rigidari quidem, amplius intendi non potest.'

De ben. II, 6. 1, ‚transforare' — ‚gladius idem stringit et transforat' (enallage praepositionis; „transforare" pro verbo usitato „perforare").

Ep. XV, 3. 46, ‚perconari' — ‚nisi eximuntur, quae reprehendunt animos et detinent perconarique totos vetant.'

Lud. de m. Cl. ‚subperturbare' — ‚pusillum subperturbantur.

Lud. de m. Cl. 14. 4, ‚sufflaminare' — ‚aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam.'

N. q. VI, 6. 14, ‚interlatere' — ‚non est ergo dubium, quin multum spiritus interlateat.'

Ep. XIII, 1. 20, ‚radicescere' — ‚sternenda vitis, ut radicescat.'

De tr. an. 17. 2, ‚revilescere' — ‚sed nec virtuti periculum est, ne admotis oculis revilescat.'

De ir. III, 9. 1, ‚oblenire' — ‚lectio illum carminum obleniat.'

Postremo nonnulla participia enotavimus, non formae novitate sed perversa significatione insignia. Inusitate „neglegens", passiva notione induta, ratione non legitima dicitur de eo quod neglegitur: Ep. I, 5. 1, ‚neglegentior barba.' Cf. Quint. XI, 3. 147, ‚neglegentior amictus.'

Huc referendum est, quod vim passivam habent:

„Professus" — Ep. VII, 5. 7, ‚quaedam vota aperta et professa sunt.' Cf. Ov. am. III, 14. 6, ‚culpa professa.' Ep. II, 2. 8, ‚ex professo' — ‚non ex professo eam petere.' Cf. Macrob. sat. 2. 9.

Ep. XIX, 1. 13, ‚scrutatus' — ‚ista sollicite scrutata varieque condita cum subierint ventrem.' Cf. Aurel. Vict. Orig. 6, Amm. 28. 1.

N. q. II, 38. 2, ‚adfatus' — ‚ut in illo fati ordine, quo patrimonium illi grande promittitur, hoc quoque protinus adfatum est, ut et naviget; ideo navigabit.' Conjici potest, „adfatum", oriundum ex voce „fatum", substantivalem habere naturam et per antithesin antecedenti „fati" oppositum esse. Quod non videtur rectum, cum substantiva, composita cum praepositione „ad", paucis exceptis — praeter „affinis" alterum non inveni — ex verbis declinentur. „Affari" autem in augurum sermone vim habuisse passivam, apparet hoc loco: Varro L. L. VI, 7. 65, ‚Effari templa dicuntur ab auguribus; affantur, qui in his fines sunt.'

## Adverbia.

Ep. XIX, 5. 1, ‚inverecunde' — ‚jure uteretur inverecunde.'

Ep. XVIII, 6. 11, ‚rationaliter' — ‚hominem rationaliter movere non potest nisi homo.'

Priusquam haec de verborum copia disputatiuncula absolvatur, paucis attingere liceat **verborum Graecorum** usurpationem.

Reprehenduntur nostrae aetatis auctores, qui sermonem suum, vocabulis peregrinis oneratum, splendidum efficere student; sic Latini quoque, qui in Graecarum vocum usu immoderati sunt. Nempe vocabula peregrina in usum convertere solius rhetorici ornamenti causa quavis aetate et in quavis lingua taedet atque ab sermone vere exculto et eleganti alienum est. Cujus rei testes sunt comoediae, in quibus Graecae voces non tam ab hominibus eruditis quam ab rudissimo quoque et incultissimo captantur. Si igitur Boehmerus, Senecam multa vocabula Graeca pro Latinis usurpasse, neque vero reprehendi posse contendit, cum vucabola illa omnia fere meliorum auctorum usu comprobentur, hoc parum acriter conclusum videtur. Multae quidem voces excusationem habent et quod verendum erat, ne Graecae Graecarum rerum appellationes in Latinum versae orationis perspicuitati et brevitati nocerent et quod cotidiano usu, peregrinitatis specie amissa, in Latinum abierant. Praeter haec vero tam multa sunt vocabula, quae, quamvis ab aliis auctoribus passim usurpata, peregrinitatis speciem non exuant ac proprie et, perspicuitate non impedita, in Latinum possint verti, ut manifestum sit, Senecam hoc quoque instrumentum rhetoricum adhibuisse alias, quo doctrina splenderet, alias, quo lascivia quadam petulanti ac facetiis placeret. Quod ad intellegendum conferatur index, quem Boehmerus in disputatione sua composuit. Cui parum absoluto haec addenda sunt:

Ep. III, 6. 7, ‚analecta', Ep. XX, 3. 4, ‚analogia', cf. Ep. XX, 3. 4, Ep. I, 9. 2, ‚apathia', Ep. XX, 5. 2, ‚antipodes', N. q. V, 6. 15, ‚argestes'. Ep. VI, 5. 1, ‚athleta', cf. Dial. I, 1. 2, Ep. XIII, 2. 14, ‚chorda', Ep. VI, 5. 1, ‚crypta', N. q. IV, 2. 2, ‚etesiae', cf. N. q. IV, 2. 22, V, 10. 1, V, 10. 3, V, 10. 4, Ep. XV, 3. 65, ‚ethologia', Ep. XV, 3. 5, ‚etymologia', De ben. VII, 23. 1, ‚hyperbole', Ep. XIII, 2. 15, ‚grammatice', Ep. XIII, 3. 24, ‚grammaticus', Ep. XIII, 3. 4, ‚musice', Ep. XIII, 3. 12, ‚musicus', Ep. XIII, 2. 28, ‚mathematice', Ep. XIII, 3. 27, ‚mathematicus', Ep. II, 9. 4, ‚megistanes', N. q. IV, 2. 7, ‚petra'. Cf. N. q. VI, 8. 4,

N. q. I, 15. 4, ,pogonias', N. q. I, 15. 4, ,pithias', Ep. IX,5. 4, ,pythaules', Ep. III, 5. 5, ,strophae', Ep. I, 12. 8, ,symphonia'. Cf. Ep. V, 11. 7, Dial. II, 3. 10, De ben. VII, 3. 10, ,syngrapha', Ep. XVIII, 1. 20, ,spongia', N. q. V, 6. 16, ,thrascias'.

Lud. de m. Cl. 12. 1, ,anapaestum', N. q, II, 6. 2, ,atomus'. Cf. N. q. V, I. 2, De ben. IV, 19. 3, Ep. II, 3. 3, ,cardiacus', Ep. IX, I. 9, ,chaos', N. q. III, 25. 12, ,crystallum', Dial. I, 5. 1, ,colaphus', Cf. Lud. de m. Cl. 15. 2, Ep. XIV, 1. 22, ,conchylium', Ep. VI, 1. 4, gausapatus', N. q. III, 25. 1, ,gypsum', Ep. XV, 2. 15, ,euripus, N. q. V, 6. 16, ,euronotos', Ep. III, 6. 6, ,lyricus', Ep. XIII, 2, 14, organum', De ben. 2, 31. 1, ,paradoxon, De ben. 5, 3. 1, ,pancration', Ep. XIX, 6. 5, ,phoenicopterus', Lud. d. m. Cl. 5. 4, ,philologus', De vit. beat. 26. 8, ,sistrum', Ep. XV, 3. 26, ,spondylus', Dial. II, 17. 1, ,struthocamelum', Ep. XVIII, 5. 12, syllogismus', De vit. beat. 13. 3, ,tympanum'.

De ir. III, 10. 1, ,aspis', N. q. VI, 9. 2, ,chasma', Ep. IX, 4. 26, ,ephemeris', N. q. V, 7. 13, ,horizon'. N. q. I, 5. 11, ,lampas', De tr. an. 4. 5, ,prytanis', N. q. V, 13. 3, prester', De tr. an. 4. 5, ,prytanis'.

## Senecae propria sunt:

N. q. V, 8. 1, ,encolpias' — ,flatus concipitur, quem Graeci encolpiam vocant.'

Ep. XII, 1. 5, ,hiera' — ,hieran fecimus.'

Ep. 13, 2. 19, ,hippopera' — ,M. Cato Censorius canteris vehebatur et hippoperis quidem interpositis, ut secum inutilia portaret.

Ep. VI, 1. 4, ,psychroluta' — ,mitto me in mare, quomodo psychrolutam decet, gausapatus.

Ep. XII, 1. 4, ,progymnastes' — ,progymnastas meos quaeris?'

N. q. 15. 4, ,asteroplectos' — ,tecta, quae Graeci asteroplecta vocant.'

Ep. XV, 3. 65, ,characterismon' — ,quidam characterismon appellant.'

Ep. XV, 3. 66, ,iconismus' — ,ut publicanorum utar verbo, iconismos.'

Ep. XX, 5. 16, ,lychnobius' — ,vos illum et lychnobium dicitis.'

N. q. 1. 18, ,parelion' — ,bina parelia.'

De tr. an. 4. 5, ,ceryx' — ,non vis enim nisi consul . . . aut ceryx . . . administrare rem publicam.

Ep. V, 6. 9, ,apologo' — ,retulit illi gratiam servus, ille in primam curiam conjectus et ipse illum apologavit.'

His fere eam partem, qua continetur vocabulorum copia atque universa construendi ratio, absolvimus. Jam ad ea, quae in medio quasi posita sunt, accessuri, de vocum usu, quo quidem a purioris sermonis regulis differant, disputemus. Primum percenseamus **particulas**, quippe quae, quum eam habeant rationem, ut orationis membra inter se conectant, quamvis parvae minutaeque voculae, ad scriptoris indolem pernoscendam gravissimi momenti sint.

Particulae copulativae **„Et"** non modo est particula copulativa sed etiam in se vim habet propriam, ut ante dictis vel ante cogitatis aliquid complementi adjiciat.

Is usus, quo ut particula „etiam" rei accessionem designat, quantum valeat apud Ciceronem, quaestio nondum absoluta est. Inter omnes constare hoc tantum videtur „et" particulae „etiam" vim habere iis locis, quibus particula apposita est pronomini. Apud Senecam utriusque particulae notiones confundi, nemo facile exsistet, qui infitias eat.

Ep. XVI, 3. 13, ,et nos', Cf. Ep. II, 5. 5, I, 6. 4, Ep. I, 7. 11, ,bene et ille', Cf. Ep. II, 3. 2, I, 9. 19, I, 12. 6, XIV, 4. 1, XIII, 3. 26, XV, 3. 7, XVIII, 1. 29, XVIII, 3. 4.

Ep. III, 1. 7, ,nunc et Stoicam sententiam quaeris,' Ep. XV, 3. 7, ,contenta erit et sapientia,' Cf. Ep. XV, 3. 65, XV, 3. 70, XVII, 2. 11, I, 9. 16, I, 12. 6, De ir. I, 8. 5.

Ep. III, 8. 5, ,fortasse et desinent,' Ep. XVI, 3. 16, ,quod dari posset, et eripi posse,' Ep. XVI, 4. 22, quotiens cogitaveris, puerum fuisse, cogita et hominem,' Cf. N. q. I. pr. 10, Ep. XV, 3. 37, Ad Helv. de cons. 2. 8.

Peculiari deinde ratione particula nonnullis locis per antithesin particularum „non tantum“ acriore accentu effertur, ubi desideratur „ipse quoque“ vel „et ipse“.

Ep. XV, 3. 6, ‚respondebimus, actiones honestas et praeceptis fieri, non tantum praeceptis.‘ N. q. I, prol. 7, ‚non illo tantum sed et illo.‘ De ir. II, 3. 1, ‚non tantum honesta, et honesta.‘ De vit. beat 9. 1, ‚non enim hanc praestat sed et hanc.‘

Cum abundantia dictum est: Ad Polyb. de cons. 18. 6, ‚fluant lacrimae sed eaedem et desinant, trahuntur gemitus, sed iidem et finiuntur.‘

Senecae propria videtur licentia, qua particulam „et“ pro „etiam“ positam sequente negatione, sensus exsistit verborum ‚ne quidem‘.

Ep. VI, 2. 3, ‚ego vero et in ipsa suffocatione non desii cogitationibus laetis ac fortibus acquiescere.‘ De ben. II, 21. 6, ‚rogo, inquit, ignoscas: et a Persico non accepi.‘ De ir. III, 2. 1. ‚et illud separari non potest.‘

**„Etiamnunc“** multis locis usurpatur de adjicienda re vel de ea, quae ad alias praeterea accedit.

N. q. II, 12. 2, ‚convenit de illis ... etiamnunc convenit.‘ Ep. XIX, 4. 22, ‚si has quoque conrotundaverint, etiamnunc interrogabo, an ...‘ N. q. I, 4. 1, ‚etiamnunc illud.‘ N. q. V, 9. 5, ‚etiamnunc natura calor omnis abigit.‘ De ben. III, 8. 2, ‚etiamnunc adjice.‘*)

„Etiamnunc“ eadem ratione cum praeterito verborum conjungitur:

De ben. V, 6. 2, ‚etiamnunc Archelaus daturus erat aurum et argentum.‘

Ep. XIX, 1. 3, ‚quotiens magna res aliquem jam eminentem etiamnunc adlevavit.‘

Ad recentiorum usum pertinet, quod „etiamnunc“ ut „etiam“ componitur cum comparativo:

De vit. beat. 9. 4, ‚etiamnunc majus.‘

---

*) Saepius idem exprimitur simplici particula „nunc“. N. q. IV, pr. 18, ‚adice nunc invictum.‘ De ot. 7. 4, ‚adice nunc, quod ... licet.‘ Cf. De ben. II, 3. 6, N. q. II, 28. 2, II, 18. 2, V, 11. 1, De ir. II, 9. 4.

Ep. XIII, 2. 12, ‚etiamnunc facere id planius volo.' Ep. XIII, 2. 31, ‚magis etiamnunc.' Ad Polyb. de cons. 7. 1, ‚etiamnunc levioribus remediis,' Cf. Ad Polyb. de cons. 8. 1, Ep. XVI, 2. 2, ‚etiamnunc turpius.' Ep. XVII, 2. 21, ‚etiamnunc frequentior.'

Haec quidem Senecae consuetudo praesto mihi est ad locum corruptum nec jam, ut ego quidem arbitror, sanatum, emendandum. Lud. de m. Cl. 5. 3, ex codicibus lectio exhibetur: „Tum Hercules primo adspectu sane perturbatus est, ut qui etiam non omnia monstra timuerit" Bernhard Schmidt „Zu Seneca's Apocolocynthosis" (Rhein. Mus. XIV.) codicum lectioni mendum inesse negat. Quod quidem non rectum videtur, primum quia „etiam" cum negatione conjunctum, ita ut vim verborum sustineat „nequidem" apud Senecam videtur non inveniri, deinde quia verbum timendi ne cum vocibus quidem conexum ut „ferae", „monstra" — quod Bernhardus Schmidt loco illo affirmat — pugnandi notionem habere potest. Haasius scripsit: „ut quem jam non omnia monstra timuerint." Manifestum est, sententia, quae incipiatur verbis „ut qui" contineri causam, propter quam Hercules perturbetur. Quod exprimi censeo non potuisse ea ratione, ut diceretur „non omnia monstra eum timuerunt." Quid enim ad rem, utrum monstra eum timeant, necne? Quamobrem prima litera vocis „omnia" antecedenti impertita, scriptum fuisse conjicio: „ut qui etiamnunc nova".

Eadem ratione Seneca „**adhuc**" cum comparativo composuit ita, ut ejus vim, ad ampliora et majora adscendens augeret:

Ep. XVI, 2. 3, ‚adhuc majora.' Ep. XVII, 1. 15, ‚multi pejora adhuc pacisci parati sunt.' Ep. VI, 5. 8, ‚animo, qui adhuc tenuior est.' Ep. XII, 3. 40, ‚adhuc viliorem.' Ep. VII, 4. 46, ‚majorem adhuc.' Ep. V, 9. 3, ‚adhuc minus.'

Posterioris aetatis scriptores „adhuc" pro „insuper" vel „praeterea" ponunt.

Ep. XVII, 2. 7, ‚quid est, quod adhuc praedicere velim?'

Ep. IV, 5. 3, ‚quid aliud adhuc volo?' Ep. V, 12. 4, ‚praeter haec invenies adhuc aliud genus.' Cf. Ep. VII, 2. 7, N. q. II, 52. 1, N. q. IV, 8. 1, IV, 13. 11.

Ab recto usu alienus est mos poetis et recentioribus historicis proprius, quo particula **„longe“** componitur cum comparativo.

Ep. XV, 3. 13, ‚longe meliores.' Ep. XVI, 2. 9, ‚longe enim frugalior.' N. q. II, 53. 3, ‚longe melius.' N. q. II, 59. 5, ‚longeque violentius.' N. q. VI, 21. 2, ‚longe perniciosior.'

Otto Ribbeck („Beiträge zur Lehre von den lat. Partikeln, Leipzig, 1869.“) particulae **„que“** duas diversas naturas ac notiones inesse explicat. Copulativam interpretatur instrumentali pronominis relativi, qui ortus ex forma „qued“ respondeat Germanicae particulae „wie“. Cum non conectit particula sed vocis, cui adhaeret, ambitum amplificat, instrumentalis est pronominis indefiniti „quis“, quem vertimus nostro „irgendwie“. Ab auctoribus, qui post Augustum scripserunt, vis illa particulae indefinita, quae certo quorundam pronominum et particularum numero continebatur, prolata est. Complures licentiae, quae posterioris aetatis scriptoribus vitio tribuuntur, huic vocis notioni amplificatae dandae videntur. Ex Senecae scriptis haec exhibentur exempla:

**„hodieque“** (= hodie quoque). In meliorum auctorum scriptis, ubi „hodieque“ occurrit, „que“ simplex est copula, conjungendis enunciationum partibus interposita. Post Augusti tempora „hodieque“ usurpatur pro „hodie quoque“. (Quint. I. 49, Tac. Germ. 3, Vell. Pat. I, 4. 3, Plin.)

De clem. I, 11. 2, ‚haec hodieque praestat,' Ep. IV, 11. 8, ‚impetus habent hodieque ferae.'

**„neque“**, ubi intellegitur „ne — quidem“. Ut particulae „que“ modo naturam relativam modo indefinitam subjicimus, sic in particula „neque“, composita ex negatione et instrumentali, a notione copulativa, hoc est relativa, indefinitam secernimus. Ad quam referendum est, quod „neque“ ponitur pro „ne—quidem“ ubi vertitur locutionibus „auch nicht,

nicht einmal" (Liv. Ov. Quint. Tac. Suet. Juv. Flor. Just). Cf. Ribbeck. Beitr. zur Lehre von d. lat. Part. p. 25, Madv. De fin. exc. III. p. 802.

De ir. I, 20. 6, ,aut et bonum erit aut nec magnum.' Ep. XV, 3. 64, ,sine qua nec illa sunt.' Ep. XVII, 2. 8, nam quomodo . . ., sic nec claritas, uni bono placuisse.' Cf. De tr. an. 17. 9, Ep. XIV, 2. 45.

**„nec — quidem.“** Quodsi Ribbeckium secuti „neque“ compositum ex negatione et ex particula indefinita „que“ nihil aliud esse conjicimus quam dilatatam negationem et auctam, perspicua fit ratio, qua posterioris aetatis auctores ponunt „nec—quidem“, ubi ex norma exspectamus „ne—quidem“. „Neque“ hac in locutione non habet vim copulativam sed abundantiam continet, ex gravitatis studio profectam. Madvigius omnibus locis „nec quidem“ mendose scriptum esse pro „ne quidem“ suspicatur.

De ir. I, 20. 5, ,sic nec amari quidem vellem.' De clem. I, 5. 4, ,quem nemo interpellaturus est, immo si vehementius excanduit, nec deprecaturus quidem.' De clem. I, 25. 5, ,sic unus aeger nec domum quidem perturbat.' De ben. V, 19. 7, ,et interdum nec nosti quidem patriam.' De ben. VII, 14. 6, ,sic nec temptasset quidem.' De ben. VII, 18. 1, ,quodsi accipere nec potui nisi sapiens, nec reddere quidem nisi sapienti possum.'

Contra purioris sermonis consuetudo, ex qua „neque“ particulis adversativis anteponitur ea ratione, ut „que“ non sit copula, quae enunciationem praecedentibus annectit, sed additamentum ad negationis fines proferendos, Senecae non est familiaris. Pro formulis, quibus negativae sententiae incipiuntur, creberrimis „neque vero“ „neque igitur“ „neque enim“ Seneca scribere amat:

**„non vero“**: Ep. XVI, 2. 7, De ir. II, 8. 4, **,non autem'**: Ep. V, 12. 8, XIII, 4. 6, **,itaque non'**: De ben. IV, 28. 6, Dial. II, 12. 3, Ep. XIV, 4. 12, XVI, 4. 13, XVII, 2. 9, **,nam non'**: Ep. XIV, 4. 24, XVI, 3. 9, XVII, 1. 19, De ben. IV, 3. 8, **,sed non'**: Ep. XV, 2. 21, XV, 2. 26, XV, 2. 32, XV, 3. 39, XVI, 5. 9, **,non enim'**: Lud. de m. Cl. 1. 4,

Ep. XIV, 4. 26, XV, 1. 6, XV, 2. 9, XV, 2. 32, XV, 3. 9, XVII, 2. 3, XVIII, 1. 11, N. q. I, 2. 6, **‚non tamen'**: Ep. XIV, 4. 11, IV, 6. 4, I, 9. 17, IX, 4. 9, De vit. beat. 9. 8.

**„itaque."** Ex iis quae disputata sunt de vocula „que" etiam particulae „itaque" duplicem vindicamus naturam. Ex Ciceronis atque Caesaris scriptis, qui particulam semper primo sententiae loco ponunt, vis relativa, ex poetis atque inferioris notae scriptoribus, qui mediae sententiae eam interponunt, indefinita exhibetur.

Ep. XIV, 1. 4, ‚primum itaque.' Ep. XIV, 2. 4, ‚animo itaque.' Ep. XIV, 3. 9, ‚consurgamus itaque.' Ep. XV, 1. 5, ‚laudemus itaque.' Cf. Ep. XIV, 3. 18, XV, 2. 48, XVI, 1. 13, XVI, 3. 9, XVI, 4. 6, XVI, 4. 18, XVIII, 1. 34.

Ep. XVI, 4. 13, ‚non debes itaque.' Ep. XV, 2. 25, ingerenda est itaque.' Ep. XVI, 2. 9, ‚non est itaque.' Ep. XV, 3. 19, ‚necesse est itaque.' Ep. XIII, 2. 25, ‚non nascitur itaque.' De vit. beat. 1. 1, ‚proponendum est itaque.' Cf. De ir. I, 10. 2, De brev. vit. 20. 1, De ben. VI, 25. 3, VI, 34. 3, IV, 28. 6, VII, 31. 1, Dial. II, 12. 3.

„Et—itaque": De vit. beat. 23. 3, ‚et habebit itaque.' De ir. II, 17. 1, ‚et apud judices itaque.'

**„quoque."** Multa sunt verba, quorum certa et constans positura casu non necessitate in consuetudinem abiisse videatur. Nimium vero casui concedimus, si eos locos, quibus verborum collocationem aliam invenimus, atque illam, consuetudine quidem sed ad arbitrium constitutam offendimus. Exempli causa ex iis locis, qui in Tursellino proferuntur, apparet, vocem „gratia", cujus natura substantivalis perspicua sit, ei verbo, ad quod pertineat, nullo alio interjecto, postponi. Neque vero hanc ob causam loci quidam apud Quintilianum, quibus hujus vocis collocatio ab consuetudine abhorret, suspecti habentur.*) Ita ego quidem causam non invenio, cur particula „quoque" ei verbo, ad quod

---

*) Quint IX, 4. 58, ‚gratia compositionis.' IX, 4. 58, ‚gratia decoris.' IX, 4. 144, ‚gratia tenuitatis.' VIII, 6. 2, ‚gratia significationis.'

pertinet, postposita, offendatur. Si enim, comprobata Ribbeckii interpretatione, particulam „quoque“, mutilatam ex „quomque“ compositam existimamus ex praepositione „quom“ (= cum) et ex instrumentali „qui“, ita ut significet nostrum „zugleich irgendwie“ necessitatem non videmus, cur „quoque“ vocem, quae particula adjicitur antecedenti, nullo verbo interposito, utique excipiat. Neque igitur loci, quales collegit Draeger „Ueber Syntax u. Stil d. Tacitus 1868“ pag. 78 suspicionem habent.*) Apud Senecam particulae collocatio his locis non quidem ab ratione sed ab consuetudine aliena est:

N. q. IV. praef. 18, ,adjice nunc invictum muneribus animum et . . . adice nunc quoque victus parsimoniam . . . post haec ipse te consule.' Ep. XIV, 2. 27, ,nam cui vita, illi vitam quoque ornantia serviunt.' Ep. XVIII, 1. 3, ,hoc quoque imperet sibi animus, ubi utilitas suorum exigit, nec tantum . . .'

Quam particulae etymologiam si tenemus, etiam vocis „**atque**“, quam constat ortam esse praepositione particulae apposita, duplicem esse notionem colligimus. Modo indefinita vertenda est nostro „dazu in irgend einer Weise“ modo relativa idem est ac nostrum „im Vergleich wozu“. Maxime perspicua haec vis relativa exhibetur, ubi particula, postposita vocibus „aeque“, „alius“, „aliter“, „par“, „pariter“, „idem“, notionem induit comparativam. Qui usus praeter paucos locos, quibus conexum est „idem—atque“ non potest comprobari exemplis ex Senecae operibus depromptis. Particulam „a e q u e“ semper subsequitur „q u a m“. Ep. XV, 2. 42, ,aeque praecepta bona quam bona exempla.' Ep. XVII, 2. 16, ,nihil aeque vitiavit quam.' De ir. III, 4. 2, ,aeque corpori quam.' Uno loco invenitur: „a e q u e—u t“: Ep. XVIII, 1. 11, ,quicquid te delectat, aeque vide ut vicides.'

Usum contra, quo vox ad ambitum suum dilatandum et proferendum geminatur, modo nullo verbo modo particu

*) Unum tantum afferre liceat exemplum: ann. 13. 6, ,tum quoque bellum deseruerat.' Neque igitur opinor, id quod proposuit Carolus Nipperdey, scribendum esse „tum bellum quoque“.

lis copulativis „et“, „atque“, „que“, intermissis („magis atque magis“, „magis“ et „magis“, „magis magis“) Seneca multis locutionibus frequentavit; quas ita quidem confinxit, ut voces geminatas conjungeret particula „atque“. Ex formulis, quae ei usitatae sunt, ab optimo sermone semotas proferamus:

Rem per plures gradus adscendere, locutione exprimitur **„magis atque magis“**.

De ben. II, 14. 4, ‚beneficium demus quod in usu magis ac magis placeat.‘ De ir. III, 1. 4. ‚vim suam magis ac magis tendit.‘ Cf. Verg. Aen. II. 299. Georg. III. 181, Tac. ann. VI. 21, Suet. Pl.

Scriptores post Augustum variis de rebus modisque dicentes utuntur formula **„aliter atque aliter“**.

Ep. III, 6. 9, ‚hoc saepe dicit Epicurus aliter atque aliter, sed numquam nimis dicitur.‘ Ep. XIV, 1. 5, ‚philosophiam quoque fuerunt, qui aliter atque aliter finirent.‘ Cf. Pl. h. n. II, 93. 95, IX, 2. 1, Cels. VII. 17.

**„alius atque alius.“** Ep. IV, 32. 2, ‚aliud ejus subinde atque aliud facientes initium.‘ Hunc locum notare libet non quo discrepet dicendi modus ab eorum, qui elegantius scriptitant, usu sed propter locum, quem particula obtinet. In omnibus enim hujusmodi formulis, quas quidem ex Tursellino collatas intueri licuit, particula „atque“ vocem, ad quam referenda est, subsequitur, aliis verbis non interpositis.

**„alubi atque alubi.“** Ep. IV, 6. 4, ‚aliubi atque aliubi adparere, prout tulit ventus.‘ De ben. III, 6. 2, ‚violatarum religionum aliubi atque aliubi diversa poena est sed ubique aliqua.‘ (Plin.)

**„propius ac propius.“** Ep. XII, 4. 6, ‚propius ac propius accessit.‘ De ir. III, 42. 4, ‚propius ac propius accedunt.‘

Postremo commemorandum est, apud Senecam particulam, litera dentali praecisa, mutilatam plenae formae usum longe exsuperare. Cui rei haec exempla variis ex scriptorum partibus collecta documento sint:

Ad Helv. de cons. „ac“: 2. 4, 5. 3, 5. 6, 6. 3, 6. 8, 10. 2, 11. 6, 12. 4, 20. 2, „atque“ non invenitur.

De ir. I. „ac“: 5. 3, 6. 2, 19. 2, 18. 4, „atque“: 1. 5, 13. 3. De ir. III. „ac“: 1. 4, 3. 2, 3. 5, 5. 1, 6. 1, 7. 1, 13. 5, 14. 2, 19. 2, 23. 5, 28. 2, 28. 6, 30. 1, 33. 3, 36. 3, 36. 2, 37. 3. „atque“; 18. 4, 34. 3.

**Particularum corresponsiones.** — Senecae orationem confragosam et, partibus non apte coagmentatis, infractam appellavimus, cum observaremus, prae polysyndetis atque particulis sibi respondentibus, quibus elegans quaedam concinnitas efficitur, orationem saepissime aut anaphoris putidam reddi aut asyndetis, flumine impedito distractam. Antequam singulas corresponsiones pertractemus, hoc liceat in universum commemorare, deesse locutiones „cum—tum“ et „non modo — sed etiam“.

Formulas „et—et“ et „non tantum—sed etiam“ exemplis illustrare supersedemus. Persaepe Seneca conjunxit „**tam — quam**“, quae locutio, quo majorem ambitum complectitur quam „et—et“, eo magis rhetoricae gravitati inservit. Inter utrumque enim ultro hoc sese offert discrimen, ut „et — et“ partes, quibus aliquid compositum est, „tam—quam“ insuper partium aequalitatem significet.

De ir. I, 2. 4, ‚qui tam parentibus amissis flebunt quam nucibus.‘ De ir. I, 16, 6, ‚sed tam commoda illorum sine invidia videmus, quam scelera sine ira.‘ N. q. IV, 13. 4, ‚tam homini quam feris.‘ Ep. IV, 13. 6, ‚tam Ardea capta est quam Roma. Ep. II, 14. 1, ‚tam interdiu . . . quam nocte.‘ Ep. XIV, 3. 7, ‚tam hominum quam urbium fata volvuntur.‘ Ep. XVIII, 1. 33, ‚tam mortem posse contemni quam exilium.‘ Ep. XVIII, 2. 4, ‚timeri autem tam domi molestum est quam foris, tam a servis quam a liberis.‘ Ep. XVIII, 5. 6, ‚tam sine profectu alieno quam sine suo.‘ Ep. XIV, 4. 16, ‚tam sine commodis beatissimus est quam non est sub incommodis miser.‘

Usus locutionum „**non solum — sed etiam**“ et ‚**non verum — sed etiam**,“ paucis locis continetur.

Ep. IX, 2. 3, ‚non solum — sed etiam.' Cf. De ben. IV, 30. 3, Ep. IX, 2. 3, ‚non verum — sed etiam.'

**„non solum — sed"**: Ep. XV, 3. 30, ‚non privatim solum — sed publice.' Ad Marc. de cons. 26. 6, ‚nec hominibus solum sed locis.'

**„non tantum — sed quoque"**: Ep. XVII, 2. 4, ‚non hoc tantum sed alia quoque.' Ep. XVIII, 5. 20, ‚non tantum coelestia sed animalia quoque.'

Mirifice omnium usum exsuperat **„non tantum — sed"**, quam formulam ab Seneca dilectam esse, plurimi loci manifestant:

Ep. II, 4. 8, ‚non tantum habere divitias sed calcare.' Ep. I, 6. 1, ‚non emendari me tantum sed transfigurari.' Ep. XVI, 2. 20, ‚non pronum tantum sed praeceps.' Cf. Ep. XV, 3. 72, XVIII, 1. 8, I, 6. 6, III, 1. 5, II, 8. 4, I, 8. 2, III, 1. 2, III, 3. 13, V, 12. 7, V, 4. 7, V, 11. 7, IX, 3. 4, N. q. II, 10. 4, III, 25. 8, IV, 15. 2, De tr. an. 9. 3, Ad. Helv. de cons. 10. 10, De clem. II, 5. 3, I, 11. 4, II, 3. 6.

Purioris sermonis norma non videntur contineri hujusmodi asyndeta:

Ep. XIV, 3. 11, ‚non tantum manu facta labuntur . . . juga montium diffluunt.' Ep. XV, 2. 19, ‚non tantum curat, etiam monet.'

Verbis „n o n  t a n t u m m o d o — s e d  e t i a m" prior enunciationis pars acrius premitur.

Ad Polyb. de cons. 15. 3, ‚non gentium tantummodo externarum, sed etiam . . .' De ir. II, 4. 8, ‚nec hoc tantummodo levioribus remediis licet, sed etiam . . .'

Jam proprietates quasdam, quae in particularum **„modo"** et **„tantum"** usu cernuntur, proferamus:

Prout ablativi „modo" naturam interpretamur, aut res ita restringitur, ut, aliis rebus seclusis, significetur „non aliud quam", aut accepta indefinita ablativi natura, rei ambitus, omnibus ejusdem generis comprehensis, longius profertur. Restrictivam illam vim, qua res, ad certam rationem reducta, ab omnibus aliis separatur, apud Senecam

particula — nisi induta notione temporali — non habet. Qua re hoc ipsum quoque declaratur, quod numquam formula adhibita est „non modo — sed etiam". Ubi tempus aliquod significatur, particula „modo" apposita, tempus distincte determinatum et ab aliis temporibus separandum esse intellegitur. Qua de causa saepissime quidem dicitur de tempore praeterito, neque vero ab ratione usuque abhorret, tempus futurum vel praesens voce, „modo" apposita determinare. Quod ex exemplis in Tursellino collatis intellegitur. Seneca „modo" addidit tantum imperfecto et perfecto.

Lud. de mort. Cl. 1. 4, ,eum qui modo . . . videbat.' N. q. I, 5. 9, ,modo, inquit, inter argumenta ponebas.' Ep. XVIII, 2. 6, ,quod modo . . . erat.' N. q. I, 6. 5, ,dixi modo.' Ep. V, 9. 2, ,modo amisisse te videor.'

Ad alteram particulae notionem referendum est, quod in sententiis, quibus condicio aliqua exprimitur „modo", quo sententiae fines proferantur, vel particulae vel pronomini additur.

Ad Polyb. de cons. 7. 1, ,intellegis, si quis modo est.' Ad Polyb. de cons. 7. 1, ,si modo vidisti.' Ad Helv. de cons. 16. 5, ,jubebunt exsurgere, si modo voles.' Lud. de mort. Cl. 24. 4, ,si modo scis.' — De ben. VI, 35. 5, ,i nunc et hoc grati esse puta, quod ne ingratus quidem faceret, qui modo . . . perveniret.' Ad Helv. de cons. 11. 4, ,in omni desiderio, quod modo . . . nascitur.' Ad Polyb. de cons. 17. 2, ,neminem dedignatur, qui modo . . . judicat.' Cf. ad Helv. de cons. 9. 4, 10. 2.

Ex vulgaris sermonis imitatione ea videtur manavisse ratio, qua particula, ut gravius admoneatur, imperativo apponitur.

De ir. II, 13. 2, ,inite modo bonis auspiciis.' De ben. I, 4. 1, ,omnia ista relinquam, tu modo nos tuere.' Dial. I, 6. 4, ,adtendite modo et videbitis.' Lud. de mort. Cl. 2. 4, ,modo dic nobis.'

Determinandi vim habet „tantum".

Ep. VII, 5. 11, ,ea tantum optabilia esse.' Ep. VIII, 3. 5,

,haec virtus tantum.' Ep. VIII, 4. 19, ,magnis tantum hominibus.' Ep. III, 5. 2, ,tantum vitia.' Ep. XI, 5. 9, ,tantum praesentibus.' Ep. III, 3. 5, ,militari tantum robore.' Ep. XV, 3. 64, ,tantum initiati. Ep. XV, 2. 32, ,ista ratione sed non ista tantum.' Ep. XV, 3. 36, ,nudis tantum praeceptis.' Ep. XIII, 3. 34, ,quaestiones sunt de animo tantum.' Dial. I, 5. 1, ,tantum malis.'

**„tantummodo.“** Lud. de mort. Cl. 15. 3, ,interjecto tantummodo velamento.' Ad Polyb. de cons. 2. 2, ,hac parte tantummodo.' Ad Polyb. de cons. 6. 4, ,nec hoc tantummodo non licet, ne somnum quidem . . .'

Raro idem significatur adjectivo **„solus“.**

Ep. XV, 3. 60, ,in haec sola.' Ep. III, 7. 1, ,tibi soli.'

**„modo — modo.“** Ep. VIII, 2. 35, ,necesse est, modo sublabantur . . . modo prodeant.' Ep. VII, 4. 33, ,quae modo latior est modo augustior, modo inlustris, modo ignobilis, modo ad multa pertinens, modo ad pauca.' Cf. Ep. XIV, 3. 5, XIV, 4. 34, XV, 2. 64, XV, 3. 35, XV, 3. 46, N. q. I, prol. 10, II, 11. 1, II, 58. 1, II, 54. 3, III, 15. 5, De ir. I, 17. 5.

Hinc oratio deducitur in eas particulas enumerandas, quae bis vel pluries positae, duas sententiae partes, sibi respondentes disjungunt.

**„aliubi — aliubi.“** Ep. XIV, 1. 21, ,aliubi imposita montibus aliubi ex plano.' De ben. I, 5. 5, aliubi sit species, aliubi ipsa res,' Cf. Varr. d. r. r. I, 44. 1, aliubi pro aqua aliubi pro pabulo. Plin. (Turs. I. p. 277.)

Nisi scripturae mendum inesse credimus, Seneca solus eodem modo usurpavit:

**„alicubi — alicubi.“** De tr. an. 2. 2, ,ut alicubi obstes tibi alicubi irascaris, alicubi instes gravius.'

**„aliquando — aliquando.“** (= „modo — modo“). Hic usus deprehenditur apud quosdam qui post Ciceronem scripserunt. (Turs. I p. 248)

N. q. III, 11. 1, aliquando siccantur aliquando exeunt.' N. q. II, 37. 2, ,aliquando ad levanda aliquando ad dif-

ferenda.' N. q. I, 14. 1, aliquando . . . aliquando. . . . aliquando . . . numquam.' Cf. Ep. XV, 1. 5.

**„hinc — hinc"** praesentibus rebus delectatus Seneca dixit pro „hinc — illinc".

Ep. XIV, 4. 25, ‚hinc urinae . . . hinc insanabilis exulcerati dolor ventris.' Ep. XIV, 2. 19, ‚hinc textorum hinc fabrorum . . . hinc . . . hinc.' Ep. XIV, 1. 22, ‚hinc maria . . . hinc terras.' Ep. XVIII, 5. 30, ‚hinc grammaticus . . . hinc philologus . . . hinc philosophiae deditus.'

Sine exemplo dictum est: **„illic — illic"**.

Ep. XIII, 2. 27, ‚illic aurum possum sine vipera tollere, illic lucrum sine sacrilegio facere non possum.'

**Particulae adversativae.** — **„Sed"** particula nisi vocali correpta, ab praepositione non differt. Manifesta est ratio, qua legitima separandi notio, vertenda nostro „für sich" ad opponendi notionem accrevit, ita ut nostrum „sondern" significaretur. (P. W. Corssen, Ausspr. u. Vocalism. I. 200, II. 851.) Particula „sed" ea igitur est, quae duas res vel duas sententias acriter separet; contra „autem" particula copulativa duas sententias inter se conectit. (P. W. Corssen, Krit. Beiträge p. 289.) Quod discrimen si tenemus, non mirum est, quod Seneca, ut qui sententias non inter se conjungere amet, particula **„autem"** raro usus est prae locorum multitudine, quibus invenitur „sed". Ut exemplum afferatur, in epistola „de consolatione ad Helviam" „autem" quinquies inveni — 6. 7, ‚ex illo coelesti spiritu descendit; coelestium autem natura . . .' 10. 5, ‚ad pretiosos cibos non excitatur. pretiosos autem . . .' 14. 1, ‚quoniam nihil habes, sequitur . . . sunt autem . . .' 17. 3, ‚nec remedia doloris sed impedimenta sunt; ego autem . . .' 4. 1, ‚constitui vincere . . . vincam autem' — triginta fere locis „sed" 1. 3, 1. 4, 2. 2, 3. 1, 3. 2, 5. 2, 5. 6, 7. 3, 9. 6, 9. 8, 10. 2, 10. 5, 10. 5, 10. 10, 10. 11, 11. 2, 11. 3, 11. 3, 11. 4, 12. 7, 13. 7, 15. 3, 15. 3, 16. 1, 17. 2, 17. 4, 17. 4, 19. 3.

Corssenius (Ausspr. u. Vocalism. II, p. 85.) voculam **„at"** referendam esse ad radicem „ati" exponit. Quae quum accedat ad notionem nostri „darüber hinaus", hoc esse inter

particulas „sed“ et „at“ discrimen, apparet, ut „sed“ separando, „at“ annectendo duas res sibi opponat. Si igitur Seneca Ep. VII, 6. 2, ‚non praecepto‘, inquit, „at exemplo“ exemplum quodammodo vocis antecedentis incrementum praecepto opponitur, neque vero exprimitur alterum altero excludi. Qui purius scribunt, ubi sive ipsi sibi occurrunt, sive alienam opinionem afferunt, quasi is, qui obloquitur, adsit, sententiam suae contrariam esse, significare solent particula „at“. Seneca hac lege, quae ex urbanitate quadam profecta videtur, neglecta, particula „sed“ sententiam alienam non modo opponit, sed acriter ab sua sejungit.

Ep. I, 6. 5, ‚sed latrocinium aliquid fecit. Quid meruit? ut suspendatur.‘ Ep. I, 2. 4, ‚sed — inquis — modo hunc modo illum evolvere volo.‘ Ep. VIII, 1. 17, ‚sed quemadmodum veniet in mentem?‘ Cf. Ep. VIII, 2. 9, IX, 2. 9, XIV, 4. 17.

Longe plurimis locis ipse sibi occurrit voce „**inquit**“ orationi interposita, ita ut, quum non pertineat ad certam personam, similiter atque imperativus „puta“, verbi natura amissa, adversativae particulae speciem induere videatur.

Ep. XIII, 1. 2, ‚nihil, inquit, volo derogare legibus.‘ Cf. Ep. XIII, 3. 29, XIII, 3. 12, XIII, 3. 28, XIII, 2. 32, XV, 3. 6, XVI, 4. 28, XVII, 2. 8, XVII, 2. 12, XVII, 2. 8, XVIII, 6. 8, XVIII, 6. 9.

„**atqui.**“ Duplicem apud Senecam particulae usum deprehendimus. Aut propositionem minorem majori subjungit — Ep. XV, 2. 44, ‚si imperio proficitur, et admonitione; atqui proficitur imperio, ergo et admonitione.‘ Ep. XV, 3. 6, ‚si honesta, inquit . . . atqui illud, ergo et hoc.‘ Ep. XV, 3. 15, ‚Omnes . . . possumus . . . atqui . . . possumus, ergo‘ — aut ut nostrum „und doch“ rei ante affirmatae aliquid opponit. Cf. Ep. XV, 3. 60, XVI, 4. 30.

Usus frequentia his exemplis illustretur: Ep. XVII, 2. 10, XV, 3. 20, XIV, 4. 26, XIV, 4. 25, XV, 2. 21, XV, 2. 59, XIII, 3. 5, N. q. I, 5. 11, I, 3. 7, I, 9. 18, IV, 3. 1, IV, 3. 2, De brev. vit. 10. 4, De vit. beat. 1. 3, De ben. II, 24. 1, III, 18. 3, III, 22. 3, III, 29. 8, IV, 11. 3, IV, 11. 5,

IV, 19. 3, V, 7. 1, V, 10. 1, V, 10. 2, VI, 9. 1, VI, 15. 1, VI, 13. 4, VII, 4. 1, De clem. I, 17. 1, II, 3. 2, De ir. II, 6. 1, II, 6. 3, II, 7. 1, II, 26. 4, II, 26. 5, II, 26. 6.

„**Interim**“ quum compositum sit ex particula „inter“ et accusativo pronominis „i“ (Corssen Ausspr. u. Vocalism. II. 842) duas res simul et uno tempore sive actas sive agendas comprehendit. Ubi contrarium aliquid adest aut diversum, ut Germanicum „indessen“, adversativam vim recipit et idem significat ac particula „tamen“ vel ad levitatem Graeci „δὲ“ decedit.

Ep. XV, 2. 52, ‚huic quaestioni suum diem dabimus; interim, omissis argumentis, nonne adparet?‘ Ep. XIV, 3. 21, ‚nemo . . . expertus est. Interim temeritas, damnare, quod nescias.‘ Ep. I, 6. 7, ‚plurimum enim alter alteri conferimus. Interim quoniam mercedulam debeo . . . dicam.‘ Ep. V, 6. 5, ‚non habemus illos hostes, sed facimus. Alia interim crudelia praetereo.‘ Ep. X, 2. 28, ‚Posidonius ait . . . interim hoc tene, hoc morde.‘

Duae res ab utraque parte simul valentes sibi opponuntur verbis „quum — interim“.

Ep. I, 1. 3, ‚et tanta . . . ut . . . judicet, quum interim hoc unum est, quod ne gratus quidem potest reddere.‘ De ben. III, 11. 1, ‚ideo de ingratis etiam ingrati queruntur, quum interim hoc omnibus haeret, quod . . .‘ Dial. I, 1. 4, ‚credet, caeca quadam volutatione modo contrahi . . . modo . . ., quum interim . . . crescunt.‘ De ir. II, 33. 4, ‚eo die, quo filium extulerat . . . potiones vix honestas . . . hauriebat, quum interim non lacrimam emisit.‘

Acrius duae sententiae sibi opponuntur verbis „quum contra“.

De ben. I, 5. 3, ‚quod traditur possideturque solum notant, quum contra illud, quod . . . parvi pendunt . . .‘ Cf. Ep. V, 8. 6.

De temporali particulae notione in hoc Seneca cum Quintiliano et Plinio (Turs. III. p. 427) consentit, quod „interim“ non raro ita ad res saepius actas refertur, ut dicatur pro „interdum“.

De ir. I, 16. 3, ‚quare irascor, cui cum maxime prosum? interim optimum misericordiae genus est occidere.' De ben. I, 11. 1, ‚interim non reddere tantum libet, quod abjeceris sed . . .'

Temporalem particulae „**rursus**" notionem apud Senecam non inveni. Utique significationem habet adversativam.

De tr. an. 10. 6, ‚nec invideamus altius stantibus; illi rursus, quos sors iniqua in ancipiti posuit.' De ben. I, 6. 3, ‚boni . . . religiosi sunt, mali rursus . . .' De ben. IV, 36. 2, ‚inter sese enim utrumque comparabo; est aliquid in eo quod . . . est rursus multum in eo . . .' Cf. Ep. XVIII, 6. 4, De ben. II, 9. 2, III, 12. 2, VI, 13. 1, N. q. III, 4. 2, V, 8. 6, De tr. an. 1. 14.

Clarius rhetorica Senecae natura emergit in **particulis interrogativis**. Eorum quae in Tursellino ad particulas „nonne" et „non" distinguendas proferuntur, causam non intellegimus. Constare hoc nobis videtur, „nonne", cum negatio, bis posita particula negativa, tollatur, vim habere affirmativam et poni, ubi res vera et non dubia videatur. Contra particula „non", quae, cum tantum vocis sono interrogari, significetur, principio sermonis propria est et scriptoribus, qui ad illius normam dictionem dirigunt — ponitur, ubi cum rhetorico quodam sive admirationis sive indignationis sono quaeritur. Quo particularum discrimine declaratur, quod Seneca sententias interrogativas longe frequentissime incipit particula „non", „nonne" paucis locis adhibet, quibus, affirmativum sensum intellegi, expresse significat.

„**nonne.**" Ep. VIII, 6. 10, ‚si hoc velut foliis . . . nonne intellegis . . .?' Cf. Ep. XIX, 6. 4, VIII, 6. 10, N. q. I, prol. 10, ‚haec inspicere . . . nonne transilire est mortalitatem?' Ad. Helv. de cons. 10. 6, ‚non vultis cogitare . . . nonne furor et ultimus mentium error est?'

„**non.**" Ep. XIV, 4. 3, ‚non . . . vides?' Ep. XIV, 4. 11, ‚non petes?' Ep. XIV, 4. 24, ‚sapiens non est beatior?' Ep. VIII, 3. 9, ‚non timor retinet? non audacia impellit? non fortitudo immittit et impetum dat? non refrenatio...?'

Ep. IV, 12. 4, ,non subibit te ejus veneratio? non dices...?' Cf. Ep. XIV, 4. 25, I, 8. 6, III, 6. 8, IV, 12. 5, VI, 7. 17, XV, 3. 36, XVI, 3. 1, XVI, 3. 16, XVI, 4. 29, XVIII, 5. 5, XVIII, 5. 8.

Saepe particula interrogativa omissa est, ut his locis:

Ep. XV, 3. 25, ,Quid? tu illos boletos judicas facere?' Ep. XV, 3. 50, ,vis deos propitiare?' Ep. XV, 3. 73, ,parum credimus?' Cf. Ep. XVI, 1. 1, XVI, 2. 5, XVI, 2. 8, XVI, 4. 2, XVII, 2. 13, XVIII, 1. 19, XVIII, 3. 5, XVIII, 4. 1, XVIII, 5. 26, II, 5. 7, II, 5. 8, V, 1. 1, VI, 7. 16, VIII, 1. 13, N. q. I. prol. 9, I, 5. 8, Ad Helv. de cons. 12. 7.

Particulae „num" haec exempla mihi praesto sunt:

Ad Helv. de cons. 9. 7, ,num dubitas?' 12. 4, ,num ergo . . . dicet?' Ep. XIV, 3. 11, ,num quid detrimenti faceret?' . . .

Ad vim quaestionis acuendam additur „quid" eadem ratione, qua Graecum „τί".

Ep. V, 6. 9, ,numquid aeger laudat medicum secantem?' Ep. V, 6. 10, numquid ergo existimas?' Ep. II, 9. 4, numquid ergo mentitus est?' De ben. III, 16. 2, IV, 15. 1, Dial. I, 4. 11, De ir. I, VII, 1, De clem. I, 16. 4, De ben. V, 18. 1, Ep. XIII, 3. 30, XIV, 4. 24, XVII, 2. 4, XVII, 2. 9, XVIII, 3. 8, XVIII, 6. 8. — Orationis vis augetur adjunita particula „nam".

De clem. I, 16. 4, ,numquidnam' aequum est, gravius homini et durius imperari, quam imperatur animalibus mutis?'

„an", quae vox, significans „anderes" (Corssen, „Krit. Beitr." p. 304.) ad notionem nostri adscendit „oder", locum suum habet in sententia bimembri. Potest vero altera pars vi ita intendi, ut haec sola consideretur et altera per inaequalitatem neglecta omittatur. Omissa igitur altera parte, una ponitur particula „an", quam, si oppositionem tenemus, pro „an potius" accipere licet. Recentiores in hac locutione saepe dubitativum modo sensum tenuerunt. Apud Senecam „an" in interrogatione non recta ab particula „num" nihil differt.

De ben. III, 30. 1, ,aestimari, an . . . meum sit.' De ben. III, 33. 5, ,disputabilis, an . . . dediderit.' De ben. VII, 28. 1, ,hoc cogita tecum, an ... gratiam retuleris.' Ep. XVI, 3. 8, ,adhuc argumentis actum est, an posset aliquis dolori resistere.' Ep. XIX, 4. 27, ,doce me, non an fortitudo sit animal sed . . .' De ben. IV, 22. 5, ,intuere, an . . .' De ben. IV, 26. 1, ,interrogant, an . . . daturus sit.' Ep. XVIII, 1. 7, ,cum incertum esset, an mors voluntaria fuisset.' De ben. III, 24. 1, ,intellegas, an venenum dederim.' Ep. XIII, 3. 33, quaerantur, an... sit,' Ep. XVIII, 3. 4, ,quaeris, bonum an corpus sit.' Ep. XVIII, 6. 14, ,quaeritur, an ... sit.' Cf. De ben. III, 11. 2, III, 29. 2, III, 32. 6, V, 2. 1, Ep. XIII, 3. 8, ,quid inquiris, an Penelope impudica fuerit.' De ben. IV, 50. 1, ,quaestione, an . . . referenda sit.' Ep. VII, 16. 5, ,quaestionem, an ... debeat.' Ep. XVIII, 6. 1, ,an... prosit, scire desideras.' N. q. I, 3. 4, ,an . . . sit, scire non possumus.' Cf. Ep. XVI, 4. 28, XIX, 4. 1, De ben VI, 7. 1, V, 20. 2, N. q. I, 1. 4.

In quavis disjunctione altera pars, acrius pressa, magis conspicua est. Quo prior interrogationis, duobus ex membris compositae pars majore vi intendatur, praecedit **„utrumne"**.

Ad Polyb. de cons. 6. 1, ,perspicit, utrumne tu tantum rebus secundis uti scias an et adversas,' et paullo post: ,omnes scient, quomodo te in isto volnere gesseris, utrumne statim percussus arma submiseris an in gradu steteris.' Cf. Ad Polyb. de cons. 9. 1, 10. 9.

**Particulae comparativae.** — **„Ut"** levioris est momenti quam ut Senecae ad sententias, quas velit conspicuas esse, inter se comparandas conveniat. In iis tantum sententiolis invenitur, quae, orationi interpositae, rhetorico accentu carent.

Ep. XIII, 3. 31, ,ut existimo.' Ep. XIII, 3. 20, ,ut antiqui vocabant.' Ep. XIV, 2. 30, ,ut Posidonio videtur.' Ep. XIV, 4. 9, ,ut ait.' Cf. Ep. XV, 2. 41, XVIII, 5. 10, XIII, 3. 46, XVII, 4. 2, XVII, 2. 16, XVI, V. 11, XVIII, 5. 11, N. q. I. pr. 7, I, 1. 3, II, 4. 2, II, 26. 4, II, 52 2, V, 9. 3, De ben. II, 9. 1.

Sententias, quas vult in conspectum cadere, incipit particulis „sicut, velut, quemadmodum, quomodo“.

Vel maxime vis, quae particulae „**sicut**“ inest, demonstrativa, Senecae convenit.

Ep. XV, 3. 64, ‚sicut sanctiora sacrorum, ita in philosophia ...‘ Cf. De clem. I, 2. 1, Ep. XIII, 2. 23, XIV, 2. 31, XV, 3. 9, XVIII, 5. 6, XIV, 1. 4, N. q. II, 22. 1, II, 52. 2, III, 15. 2, De vit. beat. 9. 2.

„**velut**.“ Ep. XVIII, 5. 11, ‚eadem illa sententia velut lacerto excussa torquetur.‘ Ad Polyb. de cons 14. 2, ‚aliud habebunt pondus, velut ab oraculo missum.‘ Cf. Ep. III, 4. 1, XV, 6. 8, XV, 3. 45, Ad. Helv. de cons. 20. 1, Ad Polyb. de cons. 8. 1, Dial. III, 4. 1.

„**prout**.“ N. q. I, 1. 9, ‚minores majoresve ignesve exsistere, prout plus illis fuit aut minus virium.‘ Cf. Ep. VII, 8. 14, N. q. I, 3. 11. — In rerum comparatione, quae instituitur particula „prout“ serioris aetatis propriam esse particulam „ita“ interpositam in Tursellino commemoratur (IV. p. 627).

N. q. I, 5. 7, ‚positione lucis, quam prout rectam vel obliquam receperunt, ita colorantur.

Imagines, fusius per totum enunciationis ambitum productas, Seneca incipere amat particula „quemadmodum“.

De vit. beat. 4. 1, ‚quemadmodum idem exercitus ... ita ...‘ De vit. beat. 15. 6, ‚quamadmodum corpus ... ita ...‘ Cf. Ep. II, 5. 12, XVII, 2. 23, XV, 2. 59, XVI, 4. 29, XV, 2. 3, XV, 1. 4, VIII, 2. 31, IX, 2. 5, IV, 11. 7, IV, 10. 3, VI, 5. 8, V, 1. 2, IV, 12. 5, VI, 6. 26, VII, 4. 46, VIII, 1. 2, VIII, 1. 11, IV, 1. 2.

Atque his fere eorum, quae de singulis particulis dicenda videbantur, summam proposuimus, adumbratam magis quam ab omni parte absolutam. Hinc deducitur oratio ad eam proponendam consuetudinem, quae quum linguae doctae, artificiis affectationis infucatae, tum propria vulgaris sermonis, non tam elegantiae quam delectationis studiosae, Senecae indoli maxime respondet; illam dico particulas ejusdem vel similis notionis geminandi. Reduplicatio quae

dicitur verbi, quae orta accipitur ex verbo geminato, hac videtur natura, ut notionis fines longius proferat. Eandem fere vim habet particulae geminatio.

**„modo modo"** non diversum videtur a simplici particula nisi significatione, quae huic voci inest, temporali distinctiore.

Ad Helv. de. cons. 2. 5, ‚modo modo in eundem sinum, ex quo tres nepotes emisisti, ossa trium nepotum recepisti.' De brev. vit. 18. 5, ‚modo modo intra paucos illos dies, quibus C. Caesar periit.'

**„semper semper."** De vit. beat. 7. 4, ‚numquam enim recta mens vertitur nec sibi odio est, nec quidquam mutavit, quia semper semper secuta est optima.'

Locos eos, quibus occurrit „jam jam", quam geminationem purior quoque sermo adhibuit, praetermittamus. — Iam ad similium particularum compositionem transeamus.

**„deinde tunc."** Ep. I, 10. 4, ‚roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde tunc corporis.' Ep. XIX, 8. 1, ‚primum exponam, deinde tunc . . .' Ep. IX, 3. 22, ‚Quid . . . soleat, ponam, deinde tunc adjiciam.' Ep. XVII, 1. 4, ‚emam, aedificabo, credam, exigam, honores geram, tunc deinde . . . referam.'

**„post deinde."** De ben. II, 34. 1, ‚primum fecit: bono animo bonum obtulit . . , post deinde aliter beneficium aliter creditum solvitur.' Gell. Vell. Ter.

**„et quoque."** Ep. XIII, 3. 24, ‚quemadmodum, inquit, est aliqua pars philosophiae naturalis, est aliqua moralis . . . sic et haec quoque liberalium artium turba locum sibi in philosophia vindicat.' Ep. I, 5. 10, ‚accipe quod placuit; et hoc quoque ex alienis hortulis sumptum est.' N. q. II, 11. 2, ‚lunae proximum jus est; sed et ceterae quoque stellae non minus . . .' Ep. XVIII, 2. 1, ‚quomodo . . . sic et tu quoque . . .' Ep. I, 2. 5, ‚et illam quoque.' Ep. VIII, 2. 1, ‚res nostrae feruntur immo volvuntur . . . et hoc quoque nimis tardum est.'

**„etiam-quoque.“** N. q. I, 3. 9, ‚non tantum in his, quibus . . . sed etiam in his quoque, quae . . .‘

**„etiamnunc et.“** De ben. VI, 8. 6, ‚etiamnunc et ille accedit.

Priusquam disputationi finis imponatur, commemorandus est mos, praeter Senecam maxime poetis et deterioris notae scriptoribus familiaris, (K. Reisig's Vorles. über lat. Sprachw. von Fr. Haase, Anmerk. 392) quo verbum „esse“ cum adverbio conjunctum est ita, ut non jam copula sit sed verbi vices sustineat. Apud Senecam non pauci ejusmodi loci sunt, quibus adverbia pro adjectivis posita sunt. Rem non sufficere, Seneca significare solet verbis „parum est“.

Ep. XV, 2. 11, ‚praecepta dare nescienti parum est.‘ Ep. XIII, 1. 13, ‚parum est sumere unguentum.‘ Ep. XVI, 1. 1, ‚solet fieri. Hoc parum est.‘ Ep. XIV, 1. 20, ‚hoc quoque parum est . . .‘ Ad Marc. de cons. 17. 5, ‚parum erit . . . coire.‘

Contrarius sensus exprimitur verbis „abunde est“.

Ep. IV, 11. 6, ‚abunde est, simul audisse.‘ Ep. XV, 3. 6, ‚ad beatam vitam praecepta abunde sunt.‘

Omnia illa similis structurae exempla nobis considerantibus, Muellerus recte conjecisse videtur „abunde est“ hoc loco: N. q. III, 14. 1, ‚ait enim Thales, terrarum orbem aqua sustineri et vehi . . . non est ergo mirum, si abunde est humor ad flumina profundenda . . . Hanc veterem sententiam . . . explode.‘ Quibuscum exemplis hi loci conferantur: Ep. VII, 3. 24, ‚quia nusquam tam anguste ero.‘ Ep. XIV, 4. 7, ‚homini bene esse, si palato bene est.‘ Ep. XVII, 1. 15, ‚saepe in hoc est bene, ne . . .‘ Ep. VI, 6. 16, ‚quod generaliter est, sub oculos non venit.‘ Ep. VI, 6. 22, ‚quintum genus est eorum, quae communiter sunt.‘ Ep. VI, 6. 18, ‚tertium genus est eorum, quae proprie sunt.‘ Ep. VI, 6. 22, ‚sextum genus est eorum, quae quasi sunt.‘ N. q. VI, 16. 1, ‚non esse terram sine spiritu, palam est.‘ Ep. I, 2. 2, ‚quicquid retro est, mors tenet.‘

Reliquum est, ut dictionis quasdam proprietates, in **pronominum pronominaliumque adjectivorum** usu ob-

servatas colligamus. Ex quibus primum morem Senecae proponimus, manifesto plurimis locis certo consilio cogitateque iteratum, usum non singularem fortuitumve sed ex indole rhetorica ducendum, quo quod gravius sive praecipit sive affirmat, ut legentis animum ad sententiam propius intuendam incitet, totam aliquam sententiae partem comprehendit pronomine demonstrativo. Creberrime tales sententiae monstrantur pronomine „**hic**“, quod, quum res praesentes significet, potissimum orationi alacri vegetaeque convenit.

Ep. IX, 2. 3, ‚hoc habet vitium omnis ambitio: non respondet.‘ Ep. I, 5. 4, ‚hoc philosophia promittit: sensum communem . . .‘ Ep. XVI, 4. 4, ‚hoc . . . habet: non supervacuum tantum sed ingratus est.‘ Ep. XV, 2. 48, ‚dividitur in haec: scientiam et philosophiam.‘ Ep. IV, 3. 2, ‚hoc est salutare, non conversari.‘ Ep. V, 8. 9, ‚hoc manifestissimum est, et comminui et . . .‘ Ep. VII, 4. 18, ‚hoc persuadere . . . conaris, nihil interesse.‘ Ep. IV, 12. 6, ‚hic decor est, non . . . adspici.‘ Ep. XV, 3. 67, ‚hoc utilius est . . . nosse . . .‘ Cf. Ep. VIII, 1. 5, IX, 4. 3, II, 4. 1, III, 4. 5, De ben. VI, 5. 1. Ep. XVIII, 5. 11, ‚hoc praecipitur, ut . . .‘ Ep. IV, 6. 4, ‚hoc cura, ut constes . . .‘ Ep. II, 8. 2, ‚hoc exigit, ut . . .‘ Cf. Ep. XV, 1. 7, V, 3. 6. Ep. V, 7. 4, ‚hoc . . . praecipi malo, quid . . . debeam.‘ Cf. Ep. VI, 1. 5, VI, 6. 27, VI, 6. 33. Ep. XIV, 2. 2, ‚hoc in illa pretiosum est, quod . . .‘

Sententiis finalibus anteponitur „**in hoc**“ ita, ut notionem particulae „ideo“ habeat.

Ep. I, 6. 6, ‚in hoc accerso, ut proficias.‘ Cf. Ep. I, 6. 4, II, 4. 3, III, 3. 9, XIV, 4. 30, N. q. II, 32. 3, De ben. III, 35. 3.

Pronomine „**ille**“, quo res absentes monstrantur, Seneca aliquid novi pronuntiat:

Ep. III, 1. 3, ‚illud existimo, leni eundum via.‘ Cf. Ep. III, 8. 2, III, 3. 12, VII, 7. 6, VIII, 2. 25, V, 10. 5, XVI, 4. 29, XVI, 5. 2, De vit. beat. 13. 2, De ir. I, 20. 2. Ep. VIII, 2. 4, ‚illud, ne timearis, praestabit.‘ Ep. VII, 1. 4, ‚illud fieri necesse est, ut . . .‘ Cf. Ep. VII, 1. 1, III, 1. 8,

Ep. XVIII, 5. 1, ,illud sciebam, quemadmodum . . .' Cf. Ep. V, 6. 14, N, q. I, 1. 5.

Quod Haasius (K. Reisig's Vorlesf. über lat. Sprachw. Anm. 367.) hoc de usu asseverat,*) non usurpari eadem ratione pronomen „is" ita, ut ad id, quod sequitur, pertineat, non ab omni parte rectum videtur, quum ratio proponitur, qua „ita" particula, ex pronomine derivata rei expositioni praemittitur et abundantia quadam consilium aliquod designatur, adjunctis verbis „ut, ne" (Cf. Hand-Turs.). Adde formulas quasdam, quales sunt: „id ago" et „eo consilio", in quibus sententias insequentes ad pronomen referendas esse apparet. Praeter has locutiones, omnium usu tritas, haec pronominis usurpatio propter levissimam quae pronomini inest, demonstrandi vim minus quidem vulgata neque vero inaudita et ab ratione aliena est. Quod comprobatur hoc loco: Ep. XVIII, 4. 7, ,hiems frigora adducit: algendum est; aestas calores refert: aestuandum est . . . hanc rerum condicionem mutare non possumus: id possumus, magnum sumere animum et viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur et naturae consentiamus.' Cf. Cic. de fin. V, 7. 19, ,id honestum sit, facere omnia . . .'

Qui electius scriptitant, pronomen demonstrativum tam arte cum subjecto conjungere amant, ut genus numerumque ad illud accommodent. Apud Senecam haec pronominis attractio non ita raro desideratur.

Ep. XIX, 8. 25, ,hoc est sapientia: non disputatiunculis inanibus subtilitatem vanissimam agitare.' Ep. XV, 1. 1,

---

*) „Alle drei Pronomina werden oft auch gebraucht, wo sie durch einen folgenden Accus. c. inf. oder einen anderen Satz erläutert werden, und hier zeigt sich im Ganzen derselbe Unterschied. Bei id nämlich versteht man schon etwas im Vorigen Enthaltenes, das noch ein Mal wiederholt oder modificirt wird. Caes. b. G. 1. 7, ,Caesari quum id nuntiatum esset, eos per provinciam nostram iter facere conari . . .' Dagegen wäre es unrichtig Ann. XV. 35, ,jussi id accusatores objicere' zu schreiben, wie Walther wollte, denn hier sind die folgenden vorgewendeten Gründe der Anklage wesentlich verschieden von den vorhergehenden wirklichen."

,hoc est vita quorundam longa.' De tr. an. 2. 4, ,ergo quaerimus, quomodo animus semper aequalis secundoque cursu eat . . . id tranquillitas erit.' De tr. an. 9. 5, ,non fuit elegantia illud aut cura.' De ben. II, 8. 2, ,non est illud liberalitas, censura est.' De ben. II, 11. 2, ,istud, si meo arbitrio memini, vita est.' De ben. II, 33. 1, ,hoc non imperfecti officii reliqua pars sed imperfecti accessio.'

Inter omnes voces demonstrativas apud Senecam nescio an maxime frequentatum sit pronomen „**iste**", quod, quum idem sit atque „tuus", notione demonstrativa accedente, res monstrat, ad alterum, quocum agitur, spectantes. Seneca sive subtilem tenuemque notionis diversitatem non jam sentiebat, sive orationi, re ante legentis oculos posita, aculeum adjiciebat, „iste" retulit cum ad agentem personam praesentemque rem ipsam tum usurpavit ad res monstrandas ab loquente et ab eo, quocum agitur, remotas. „Iste" modo vices obtinere pronominis „hic" modo ad res absentes relatum pronominum „ille" et „is", ingenti exemplorum multitudine comprobatur, ex quibus haec desumere liceat:

Ep. I, 5. 4, ,ista, per quae volumus.' Ep. VII, 2. 7, ,mihi ista . . . adquisita sunt.' Ep. VI, 5. 4, ,ad omnia ista sic me duravi,' Ep. VI, 6. 32, de isto feremus sententiam.' Ep. VI, 7. 9, ,in istis vitiis jacuimus.' Ep. IX, 3. 9, ,secedamus ab istis ludis.' Ep. I, 5. 7, ,ista, quae tam dissimilia sunt, pariter incedunt.' Ep. VII, 1. 7, ,cui ista animi firmitas continget, nisi elato?' Cf. Ep. I, 5. 8, I, 12. 11, II, 1. 4, II, 9. 9, III, 1. 12, IV, 4. 7, IV, 4. 8, IV, 6. 4, IV, 6. 6, V, 1. 2, V, 6. 2, V, 4. 9, V, 6. 4, V, 11. 6, VI, 3. 1, VII, 4. 13, VII, 4. 23, VII, 5. 5, VIII, 2. 13, IX, 5. 4, XIII, 2. 8, XIV, 1. 22, XIV, 2. 10, XV, 2. 39, XV, 3. 59, XVI, 3. 12, XVIII, 1. 34, N. q. 1. prol. 5, I, 2. 5, I, 7. 3, I, 9. 7, De ben. IV, 26. 2, III, 12. 3, Ad Helv. de cons. 6. 1, 6. 2, 7. 5, 9. 2, 10. 3, 11. 3, 15. 5.

Ab consuetudine, qua, qui purius scribunt, „**ipse**" referunt ad enunciationis subjectum, Seneca multifariam aberravit:

Ep. XVIII, 1. 8, ,nunc primum se ipsos sollicitant,

corrumpunt, territant?' fusius de hac re disputavit Gronovius ad Sen. n. q. I. praef. p. 627.

„Ipse", quum eam habeat nativam vim, ut aliquid ab ceteris rebus acriter secernat, in oratione obliqua justum obtinet locum, ubi ex duabus inductis personis altera alteri opponitur K. Reisigius („Vorlesf. über lat. Sprachw." § 223.) Curtium dicit usurpasse „ipse", pro pronomine reflexivo.

Eadem ratione a Seneca pronomen „ipse" adhibitum est.

N. q. VI, 1. 10, negantque, ipsos . . . accessuros. N. q. VI, 5. 1, ‚quidam liquere ipsis ... dixerunt.' De ben. IV,16.1, ‚iidem isti gratiam referre ipsos fatentur.' Ep. XVI, 3. 10, ‚ut mirentur, aliquid ipsos amittere.'

In oratione obliqua Seneca, ut qui aliena sententia posthabita, suam primo quasi loco ponat, modis, quod ipse dicit et quod alterum dicentem facit, non discernit. Quod quidem animadvertimus plurimis locis, quibus ratione ab legitimo usu aliena indicativus adhibitus est. Ad eandem dictionis indiligentiam, qua sua et aliena scriptor confundit, referendum est, quod pronomen demonstrativum ponitur pro reflexivo.

Ep. V, 5. 8, ‚rogant. ut ex tanta illos volutatione extrahas.' Ep. XVI, 3. 10, ‚Ceterum tam improbi tamque obliti, quo eant, quo illos singuli dies turbent, ut mirentur, aliquid ipsos amittere.'

**„Tot"** et **"quot"** aliquot locis pro substantivis usurpantur.

Ep. IV, 2. 8, ‚tot . . . aderant.' Ep. XVIII, 5. 38, ‚ingens agmen tot ac talium.' Ep. 2, 3. 11, ‚cum adspexeris, quot te antecedant, cogita, quot te sequantur.' Ep. IX, 2. 3, ‚Adice nunc, quod nemo eorum . . . quot vincat, sed a quibus vincatur, adspicit.'

Vulgaris dictionis similitudo quaedam cernitur pronominis **„quidem"** effusa usurpatione. Etenim qui hominem aut rem, de qua locuturus est, pluribus designare aut non vult aut nequit, commoda facilique pronominis appellatione est contentus. Inde evenit, ut in sermone hominum vulgarium pedestri, quibus verba nec praesto sint, nec statim in

mentem subveniant, usus sit creberrimus. Quod cum in omnibus libris tum maxime in epistolis observatur, quae sermocinationibus brevioribusque narrationibus refertae, vel maxime solutae orationis ac neglegentiae cujusdam speciem prae se ferunt. Usus frequentiam exemplis illustrare juvat:

Ep. I, 9. 1, ,in quadam epistola.' Ep. I, 9. 12, ,quaedam animalia.' Ep. III, 2. 7, ,casu quodam.' Ep. VI, 5. 5, ,fortes quidam.' Ep. VI, 6. 1, ,quaedam res.' Ep. XIII, 2. 7, ,homines quidam.' Ep. VI. 5. 6, ,quaedam perturbatio.' Ep. VI, 4. 3, ,cuidam genti.' Ep. VI, 6. 15, ,stoicis quibusdam.' Ep. VI, 6. 25, ,quibusdam oblectamentis.' Ep. VII, 1. 5, ,quaedam poma.' Ep. IX, 1. 5, ,eruptiones quaedam.'

Ep. I, 3. 3, quidam fallere docuerunt.' Ep. I, 3. 3, interveniunt quaedam.' Ep. VI, 5. 6, ,quaedam timeremus.' Cf. Ep. VI, 5. 4, VII, 5. 11, I, 11. 3, II, 1. 2, II, 1. 11, II, 5. 6, II, 8. 3, III, 1. 1, I, 11. 5, Ad. Helv. De cons. 7. 4.

Multifariam „**ullus**" substantivalem induit naturam.

Ep. XIX, 3. 20, ,non sumus in ullius potestate.' Ep. XIV, 4. 1, ,et ne ulli quidem nisi sibi innixus.' Ep. XIV, 2. 40, ,nec ulli superesse poterat.' Ep. XV, 2. 43, ,nec ulli licet.' Ep. I, 10. 2, ,nihil ulli committere.' De ben. V. 1. 3, ,ut tibi dari putes quod ulli datur.' De clem. I, 25. 1, ,ut manus ista ulli salutaris sit.' De brev. vit. 4. 1, ,cui di plura quam ulli praestiterunt.'

Pronomina „**ullus**" et „**quisquam**" in sententiis, quarum non est sensus negativus, cum majore gravitate posita sunt quam „aliquis".

Ep. XVII, 1. 7, mirari, id ullo die factum, quod omni potest fieri.' De ben. V, 1. 3, ,ut tibi dari putes, quod ulli datur.' Ep. II, 4. 7, ,quicquid bene dictum est ab ullo, meum est.' Ep. IV, 4. 4, omnia quae quisquam in illo contubernio locutus est, unius ductu et auspiciis dicta sunt.' Dial. I, 2. 10, ,tam turpe est Catoni, mortem ab ullo petere quam vitam.' Cf. Ep. V, 6. 3, IX, 3. 3, XVIII, 5. 37, N. q. IV. 3. 30, De brev. vit. 4. 1, De ben. III, 28. 4.

Apud Senecam pronomen indefinitum „**aliquis**“, ut Graecum „τίς“ in numero singulari et in plurali notionem habet nostri „mancher, manche“.

Ep. II, 1. 11, ‚aliquando gladius ab ipsa cervice revocatus est; aliquis carnifici suo superstes fuit.‘ Ep. XV, 3. 42, ‚aliquorum gulam irritat.‘ (Cf. Reisig's Vorles. über lat. Sprachw., Anm. 354.)

Hinc deducitur oratio in pronomina quaedam enumeranda, quae bis vel pluries posita duas sententiae partes sibi respondentes disjungunt. Insolentius Seneca conjunxit:

„**aliquis — aliquis.**“ Ep. XVIII, 5. 23, ‚aliquid praecipientium vita peccatur . . . aliquid discentium.‘ Ep. XIII, 2. 28, ‚aliquis . . . naufragium fecit, aliquis captus est.‘ De ben. V, 11. 4, ‚beneficium dare socialis res est, aliquem conciliat, aliquem obligat.‘

„**hic — hic.**“ Ep. XIII, 3. 37, ‚in his libris de patria Homeri quaeritur, in his de Aeneae matre vera, in his . . . in his . . .‘

„**ille — ille.**“ Ep. XV, 1. 1, ‚quare ille in medio cursu raptus est? quare ille non rapitur?‘

Maxime apud Senecam increbruit „quidam — quidam.“ De ot. 4. 1, ‚quidam . . . quidam . . . quidam . . .‘ De tr. an. 6. 3, ‚quorumdam . . . quorumdam . . . quidam . . . quidam . . . omnibus.‘ Cf. Ep. VI, 5. 15, VII, 3. 14, N. q. VI, 6. 15, ‚natura quaedam sunt, quaedam non sunt.‘ Cf. Ep. VI, 6. 15, VI, 6. 11, VII, 5. 7, V, 1. 6, V, 12. 6, De ben. II, 9. 1, VII, 28. 1, De ir. I, 4. 1, Ad Marc. de cons. 18. 7.

# Vita.

Natus sum ego Otto Rauschning Non. Jan. anni MDCCCXLVIII in fundo patris Taukitten, prope Regimontium sito, patre Friderico, matre Teutonia de gente Rauschning, quos adhuc vivos esse laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Prima literarum elementa domi edoctus mense Octobr. a. MDCCCLVI in sextam gymnasii Palaeopolitani receptus sum a directore Ellendt. Unde cum maturitatis testimonio dimissus a. MDCCCLXVI in numerum civium Academiae Albertinae receptus apud facultatem philosophicam nomen professus sum. Studiis meis militia intervenit, qua bello Francogallico perfunctus sum. Per quinque annos, quos civis fui Academiae Albertinae, audivi prof. ill. Nitzsch, Rosenkranz, Ueberweg nonnullas, prof. ill. Lehrs, Friedlaender, Jordan, Schade lectiones omnes: quibus viris omnibus neque minus illis, qui me antea literas docuerunt, gratias ago quam maximas. Quartum nunc annum collegio praeceptorum gymnasii Palaeopolitani adscriptus sum.